




Sala e
Gab.
Est.
Tab.
N.^o

36







PASTORALIS LIBERUS
INSTITUTIONES
JURIS CRIMINALIS LUSITANI.

**URBIS CRIMINALIS LUSATIA
IMMIGRATIONES**

PASCHALIS JOSEPHUS
MELLIUS FREIRIUS

JURIS PATRII IN ACADEMIA CONIMBRICENSE
STUDIOSIS

S. P. D.

SCIENTIA Criminalis , cujus Institutiones publicae tandem luci damus , Auditores , cum hominibus ipsis nata est , et crevit , societatibus civilibus institutis . Primus enim , ac praecipuus illarum instituendarum finis fuit , ut hominibus in easdem convenientibus vitae , ac bonorum securitas constaret ; quae sine legibus criminibus , quae de delictis , et poenis agant , obtineri nullo modo potest . Et hinc si antiquiorum populorum leges , quae apud veteres Historicos referuntur , percurramus , earum plerasque in impediendis , prohibendisque criminibus , poenisque sanciendis versari inveniemus . Hujusmodi autem scientiam eos certe ignorare turpissimum est , qui publicis funguntur muneribus , et illi praesertim , qui vel ipsi summa potiuntur potestate , vel judiciariam a supremis Republicae Moderatoribus demandatam exercendam acceperunt . Quare nihil mirum , si olim graviores cujuscumque Nationis Viri , et sublimio-

PASCHALIS LEBEUS

MILITIA PRAEFERAT

TISSA VITIA ETC. CANTAB. ST. GREGORIUS

SACRA

PLATE

ad hunc annivitatis anno iubilatum. Et quoniam
anno iubilatum annus qui mollescit animos
ad dilectionem. Intervale quo nonnulli eundem mo-
ribus et amissione membra vestrum contulisti anniversario
et intemperie et infirmitate et maledictione illi agunt.

*Da veniam scriptis, quorum nec gloria nobis
Causa, sed utilitas, officiumque, fuit.*

Ovid. ex pont. III. 9.

etiamq[ue]dum ad suos omnes olim non
anniversario annos agere possent intermissione
et tempore in morte, sumptuosaq[ue] pars cister-
nibus et ratiocinis et ratiocinationib[us] et ratiocinationib[us]
et ratiocinationib[us] et ratiocinationib[us] et ratiocinationib[us]

— 33 —

JOANNI,
CELSISSIMO BRASILIAE
PRINCIPI,
HAS PRIMAS
JURIS CRIMINALIS LUSITANI
INSTITUTIONES

D.

PASCHALIS JOSEPHUS
MELLIOUS FREIRIUS.

A

PASCHALIS JOSEPHI
MELLII FREIRII
ACAD. REG. SCIENT. OLISIP. SOCII,
IN REGIO EQUESTRIUM ORDINUM COLLEGIO
COLLEGAE,
ET PUBLICI APUD CONIMBRICENSEM ACADEMIAM
JURIS PATRII PROFESSORIS EMERITI
ORD.
**INSTITUTIONUM
JURIS CRIMINALIS LUSITANI**
JUSSU ACAD. REG. SCIENTIARUM
IN LUCEM EDITUS,
LIBER SINGULARIS.



OLISIPONE
EX TYPOGRAPHIA REGALIS ACADEMIAE
SCIENTIARUM OLISIPONENSIS.
ANNO CIC. 10CC. XCIV.
Permissu Regiae Curiae Commissionis Generalis pro Exam-
ine, et Censura Librorum.

miora ingenia Criminalis Scientiae peritia cele-
brarentur. Et sane hoc nomine fas sit laudare Sa-
cerdotes apud Aegyptios , Seniores apud He-
braeos , Satrapas apud Assyrios , Persasque ; qui-
bus inter vetustissimas illas Gentes commissa erat
delitorum cognitio , et animadversio . In Grae-
cia non solum cives sapientiores Quaeſitorum
Criminalium in Collegia cooptati ; sed ipsi
etiam Oratores Criminalis Scientiae laude flo-
ruerunt : quod videre licet ex plerisque Ly-
siae , Isocratis , et Demosthenis Orationibus ,
quibus vel cives accusabant delinquentes , vel
innocentes accusatos defendebant . Romae vero ,
ubi juris , legumque scientia primo coepit in cer-
tum redigi ordinem , potissimum ea pars gra-
vissima , et utilissima , quae ad crimina , et poe-
nas spectat , exculta est . Cujus rei plenam no-
bis fidem faciunt tot fragmenta Romanorum
Jureconsultorum , quae adhuc in Pandectis ex-
stant ; qui multis scriptis Operibus Criminalem
Scientiam ab Oratoribus itidem semper excul-
tam auxerunt , illustrarunt , atque ad summam
extulerunt dignitatem ; a qua postmodum exci-
dit cum gloria simul , imperioque Romano . Eo
enim a Borealibus Gentibus in Occidente con-
cuso , et demum everso , cum Romanis legibus ,

cete-

ceterisque bonis artibus , ac disciplinis elanguit quoque , ceciditque Scientia Criminalis ; nec nisi post instaurata veteris Jurisprudentiae Romanae jura excoli coepit ; et cessatum paulatim ab ea barbarorum saeculorum feritate , ac ignorantia , quam Boreales illae Gentes invexerant.

Qui enim post Irnerium ad nos fere usque in interpretando , illustrandoque jure Romano operam suam , et industriam collocarunt , quamvis ejus quoque nobilissimam partem attigissent , quae ad delicta , et poenas pertinet ; id tamen sine certo ordine , et veluti aliud agentes fecerunt ; nec multi quidem numero sunt , qui eam ex professo , et ex dignitate tractandam suscepserint . Omnes enim sive sua , sive temporum injuria (si unum , vel alium excipiamus) eas ignorarunt scientias , unde Jurisprudentia Criminalis vera sua derivat principia . Et ut de *Farinacio* tantum loquamur , (qui habitus est , et adhuc in vulgus habetur princeps Criminalium Jureconsultorum) eidem in primis accepta ferenda est universalis illa , putidissimaque corruptio , quae Criminalem Scientiam pervasit . Is enim magnis voluminibus editis eam non solum indocte , inornate , inconditeque tractavit ; sed nutantem insuper reddidit , et versatilem ; obscuravit deinde , et sordibus

**

quam

quam pluribus infecit. Non nullis fortasse nimis
audax videbitur nostrum hoc de *Farinacio* judi-
cium. Sed quisquis mente a praejudicatis opi-
nionibus vacua ejus opera pervolutaverit, facile
deprehendet nos injustam haud dixisse senten-
tiā. *Antonius Matthaeus* primus omnium fuit,
qui in Commentariis ad libros XLVII. et XLVIII.
Digestorum, in quibus de re criminali agitur,
nobilissimam Jurisprudentiae Romanae partem,
quae circa criminā, poenasque versatur, a doctis
Interpretibus perfunditorie illustratam, et a vul-
go Criminalium Scriptorum sordide corruptam,
puris tetigit manibus, expolivit, et a pluribus,
quibus olim redundabat, vitiis, erroribusque re-
purgavit. Laus haec, ac gloria debetur Mat-
thaeo; sed major certe *Grotio*, *Pufendorfio*, et
Praefidi de Montesquieu debetur, qui dum Ju-
ris Naturalis, et Gentium disciplinam humi-
jacentem erigere, atque extollere adgressi sunt;
cum in illud caput incidissent, quod est de jure
summae civili Potestati competenti super vitam,
bonaque Civium, multa adeo docte sapienter-
que de delictis, et poenis disputatione, ut si-
gnum veluti extulisse viderentur ad bene in-
posterum de Criminali Jurisprudentia sperandum.
Jure igitur, meritoque illorum omnium, qui
hanc

hanc spartam postea ornandam , et poliendam suscepserunt , principes , et magistri haberi debent.

Semina haec evolventes operosa multo quidem inter alios reddiderunt *Thomasius* , *Gundlinger* , *Boehmerus* , et superioribus annis *Marchio de Beccaria* , qui vel ideo magnam meretur laudem , quod aliorum de criminibus , et poenis bene dicta in unum collegerit volumen , et primus fuerit , qui animose tentaverit novam Criminali Scientiae faciem induere . Eodem fere tempore prodierunt *Paulus Risi* , *Philippus Maria Renazzi* , *Püttmannus* , *Genuensis* , *Filangerius* , et alii bene multi apud *Bibliothecam Brissotianam* , qui verae philosophiae , et civilis prudentiae , reliquarumque sublimiorum disciplinarum praesidio instructi Criminalem Scientiam novam formarunt , quam breviter quidem , ac dilucide scriptis suis bonae ut plurimum frugis plenissimis exposuere . Et sane conveniens omnino esse videbatur , ut nostra hac actate , qua disciplinae omnes , praesertim quae ad solidam hominum utilitatem respiciunt , sedulo excoluntur , Scientia quoque Criminalis , qua nulla utilior est , perpoliretur , et auxiliis ab aliis scientiis petitis (quantum homines possunt) perficeretur : siquidem non video , quaenam alia sit , quam

hominum magis intersit diligentissime excoli, et
puram, sinceramque florere.

Quod ad nos attinet: Jurisprudentia Criminales, quae in libro V. nostrarum Ordinationum continetur, communibus, quibus aliarum Nationum leges criminales vitiis abundant, infecta est: neque quisquam (quod dolendum) ad hanc usque diem inter nos surrexit, qui aut illius vulnera detegeret, aut detecta curaret, aut leges ipsas ex suis genuinis fontibus, vel aliquo saltem ordine, ac methodo explicaret. Nimirum Patriis quoque legibus confirmantur lamarum, strigumque fabellae, membrorum mutilationes, poenae non dicam jam atroces, sed crudeles, tormenta, mulctae pecuniariae, fisci locupletandi caussa adinventae, probationes semiplena, et indicia, quae in privilegiatis praestitum, quae vocant, delictis pro veris, et legitimis probationibus habentur. Asylorum deinde usus, quorum ope sceleratissimis etiam hominibus justae se subtrahere poenae facillimum erat, eisdem legibus approbatur. Hae autem, et similia temporum magis, quam hominum via erint, neque nostris legum latoribus imputandum, quod communes errores, Sapientum tunc temporis suffragio comprobatos, in suas cri-

mi-

minales leges referrent; quas hodie boni ubique
Principes vel expresse abrogant aliis legibus la-
tis, vel tacite abrogare videntur, illarum non
usum, et audaces quandoquidem, ac contortas
earumdem interpretationes placide ferentes, qui-
bus ad humanitatem ipsae inflectuntur, et pree-
fenti rerum statui accommodantur. Nam, si recte
se habet, quod Cicero de Divinat. II. XXXIII.
ait: *Errabat multis in rebus antiquitas: quam vel usu*
jam, vel doctrina, vel vetustate immutatam videmus:
cum leges ingenio, moribusque eorum, quibus fe-
runtur, sint attemperandae, quis dubitabit, quin
ipsarum etiam emendatio, correctioque subinde
necessaria sit? Enimvero Jurisprudentia Crimin-
alis, qualis nunc est inter nos, multis quidem,
quibus olim scatebat, sed non omnibus purgata
est vitiis: hoc enim veluti in fatis erat Mariae
I., et Joannis, Brasiliae Principis, temporibus
reservatum; quibus feliciter, et humaniter impe-
rantibus, novum, eumque perfectum, et num-
eris omnibus absolutum Criminalem Codicem quo-
tidie speramus. Multa equidem, jubentibus ita
legibus, scribenda nobis fuere, quae, si per nos
licuisset, paulo aliter constituissemus. Memores
autem sumus nos hic non in legibus fanciendis,
sed in jam fancitis versari, secundum quas, non
de

de ipsis judicandum est. Is tamen nequaquam nobis redarguendus videtur, qui, dum se consuetudini accommodat, et legibus, quae vigent, obsequitur, verecunde, quid de iis sentiat, profatur. Quod si nos aliquando caute, et modeste fecimus, sciant timidiiores, qui novitati cuicunque irasci solent, eaque maxime commoveri, sub Maria I., et Joanne, Principe Philosopho, et humanissimo, scribentibus fas esse tam de publicis, quam de privatis rebus judicium suum libere, et impune proferre, modo id faciant quam modestissime, et prout bonum civem decet.

Ad criminales nostros Jureconsultos quod pertinet, dicam fidenter quod sentio, et cui bono dissimulandum? Ego existimo eos nihil fere minus scivisse, quam Jus nostrum Criminale, cuius interpretationem suscepere; quippe vera principia ignorabant, et fontes seu proximos, seu remotos, unde illius genuina interpretatio peti debet. Et quid sperandum ab hominibus, qui Juris Naturalis, et Gentium, Prudentiae civilis, et morum scientiam ignorantes, Jurisprudentiam Criminalem, quae inde fluit, atque emanat, interpretari adgrediuntur? Qui criminalium nostrorum legum historiam, diversas aetates, diversos populorum mores, diversaque temporum viceſſi-

tudines , mutationes , origines , et mutationum
subinde caussas efficientes non cognoscunt ? Qui
leges municipales , quibus quaevis provincia , et
civitas pro delictis intra eam admissis puniendis uti-
tur , cognitas , ac perspectas non habent ? Et qui
denique Civium nostrorum publica jura , et prae-
rogatiwas , quas nos *foros* dicimus , ex quibus et
poenarum diversitas est , et diversus in crimina
inquirendi modus , ignorant ? Eos autem a recta
via abduxit in primis praejudicium auctoritatis ,
et Patriarum legum neglectus , cum nihil ipsi
viderint , et probaverint , nisi quod *Clarus* , *Fari-*
nacius , *Carpzovius* , *Amenus* , *Ursaya* , et id ge-
nus alii scriptum reliquerint . Accedit , quod Ro-
manarum legum amore abrepti omne refugium
in iis quaererent , et sacrilegii instar esse existi-
marent quidquid ex iis probari non poterat , pa-
rum curiosi , utrum juris Latialis rationes foro
nostro quadrent , an vero ab eo sint alienissimae ?
Interea non negligendi omnino ; nam , si ad theo-
riam nihil faciunt , utilia multa habent , quae ad
legum usum , et applicationem spectant , quibus
nostra Criminalis Jurisprudentia multum juvari po-
test . Eminet inter omnes , et praecipua laude di-
gnus est noster *Mendesius* , qui in I. et II. P.
praxim criminalem breviter , et clare explicavit ,

et

et ad certum quemdam ordinem redigit: nam ceteri quaestiones non omnes in foro obvenientes nullo certo ordine tractant, easque ex Doctorum numero, uti moris est, non ex legum auctoritate decidunt. Practica Criminalis *Emmanuelis Lopesii Ferreriae* egregia quoque non nulla continet, quorum cognitio iis, qui in foro versantur, utilis est, ac necessaria; ast magnitudine sua magis oneri, quam adjumento Juris Criminalis Studiofis esse videtur: quibus potius ante omnia brevitate saltem sua, et methodo commendandus parvus libellus inscriptus: *Primeiras Linhas sobre o Processo Criminal*, ann. 1785. typis evulgatus.

Haec cum ita sint, liceat nobis aliorum industriam imitari, et symbolam quoque in medium proferre: quamvis enim dispari ingenio sumus, pari tamen publici boni studio, desiderioque flagramus. Et qui jam periculum fecimus in Juris nostri Civilis Institutionibus, idem in Criminalibus experiri juvat; non quod speremus, quae aliis defunt, a nostra tenuitate suppleri posse; sed ut homines ingeniosos ad nobilissimam hanc, et utilissimam juris partem excolendam impellamus. Methodo hic usi sumus brevi, clara, et perspicua, quantum pro viribus licuit: et ad exemplum Clarissimi *Heineccii* in suis Juris Civilis

lis Praelectionibus, et Boeckmeri in Elementis Jurisprudentiae Criminalis, omnem adhibuimus diligentiam, ut, principiis, regulis, et axiomaticis ante omnia breviter, dilucideque propositis, conjectaria deinde, et doctrinarum nexus facili negotio perciperentur: quae methodus cum ad docendum, tum ad discendum accommodatissima est. Quod si non nulla, brevitati admodum consulentes, nimis concise dixisse videbimus, veniam dabitis, Auditores; non enim opus grande, et difusum scribere intendimus, sed Juris Institutiones, quibus simile scriptionis genus conveniens est, ulteriore, et pleniore explicatione Professoribus vestris doctissimis reservata. Itaque Jus Criminale universum cum duo potissimum complectatur, nimirum crimen ipsum, et poenam eidem praescribendam, et formam deinde in crimen inquirendi, poenamque in delinquentes decernendi; nos, haec Criminalis Juris objecta uno eodemque contextu pertractantes, primo titulo de delictis generatim, delinquentibus, et poenis egimus; in quem praecipua retulimus, quae hodie hac de re a nostri aevi Philosophis egregie scripta inveniuntur, quorum plura nostra fecimus; quaedam autem rejecimus, sed modeste, sicut noster est mos. Sequuntur divisiones delictorum,

et

et poenae speciales eisdem praescriptae, quae duodecim ferme includuntur titulis; quibus tractandis in id praecipue operam dedimus, ut leges nostras severiores praesertim ex Lusitanis antiquitatibus illustrantes, easque ad mores, et consuetudines saeculi, quo latae sunt, referentes, et praesenti, quo vivimus, quantum verae interpretationis regulae patiuntur, accommodandas, ex bono semper, et aequo interpretaremur. Ubique autem legum, rationumque momentis nisi dissipavimus; nec tamen omisimus Scriptorum etiam vulgarium citationes, ut major inde nobis fides habeatur a doctis pariter, ac indoctis, qui similibus scriptis delectari solent. Nostros vero *Cabedum*, *Mendesium*, *Phaebum*, *Leitanum*, ceteros, praecipue laudavimus; probe scientes venerandas esse praejudicatas hominum opiniones, etiam cum corrigendas destruendasque curatur. Quae ad judiciorum criminalium formam, et ordinem spectant, eisdem numero titulis explicavimus; queis breviter, et summatis ea fere omnia tradidimus, quae vel ad illorum sollemnia, vel ad accusationes reorum, inquisitiones generales, specialesve, denuntiationes, querelas; vel ad eorum defensionem, ac securitatem; vel ad criminum probationes, praesum-

sumptiones , et indicia ; vel ad criminalis judicii ,
et rei judicatae exsecutionem ; vel ad criminis ipsius
abolitionem , condonationem , praescriptionem ; vel
ad absentes reos inquirendos , aut condemnandos ;
vel ad innocentes jam condemnatos restituendos vi-
debantur attinere . His tradendis (quod omnino
monendum est) ab illorum nos sententia quam
maxime alieni sumus , qui semper urunt , aut se-
cant ; aut , in contrariam prolapsi , nimia miseri-
cordia flectuntur . Utrique enim peccant ; illi ,
dum omnem mentis aciem in saevitiam , negle-
ctis defensionis remedii , dirigunt ; hi , dum le-
ges vindictam praeferentes corrumpunt , obli-
tio officii sui , et publicae salutis , cui cerebrina ista
misericordia magis nocet , quam prodest . Bene
ergo Seneca : *Ubi discrimen inter malos , bonosque*
sublatum est , confusio sequitur , et vitiorum eruptio.
Itaque adhibenda est moderatio , quae sanabilia in-
genia distinguere a deploratis sciat . Nec promiscuam
habere , ac vulgarem clementiam oportet , nec ab-
scissam . Nam tam omnibus ignoscere crudelitas est ,
quam nulli : modum tenere dehemus . Haec duo ex-
rema semper defugere studuimus ; et ita intelli-
gi volumus doctrinas hoc libello contentas : quae
et Vos , cum ad Rempublicam in partes Vobis
concreditam tandem aliquando administrandam ac-

cesseritis, aequae fugere, ac evitare debetis. Sed praeftationis satis est, ne longior quam libellus evadat. Ceterum qui consilium, institutumque nostrum in Criminali Patrio Jure nova via, et ratione explicando probaverint, animum nostrum eis perpetuo devinctissimum profitemur: si minus, nequaquam nos propterea iis infensos esse publicis litteris testamur. Errores autem, in quos incidimus, facile condonabunt, qui operis agnoscunt difficultatem. Et quis non excusabit errata illorum, qui primi scientiae alicui expoliendae adlaborarunt? Tandem omnes rogatos cupimus, ut in animum revocent Horatianum:

Opere in longo fas est obrepere somnum.

INDEX TITULORUM.

TIT. I.	<i>De delictis generatim, delinquen-</i>							
	<i>tibus, et poenis.</i> - - - - -						pag. 1.	X
TIT. II.	<i>De delictis ecclesiasticis, et poenis.</i>	- - - - -					28.	
TIT. III.	<i>De crimen majestatis.</i> - - - - -						44.	
TIT. IV.	<i>De vi publica, et privata.</i> - - - - -						50.	
TIT. V.	<i>De falso, et stellionatu.</i> - - - - -						67.	
TIT. VI.	<i>De furtis.</i> - - - - -						83.	
TIT. VII.	<i>De damno injuria dato.</i> - - - - -						98.	
TIT. VIII.	<i>De injuriis, et famosis libellis.</i> - - - - -						104.	
TIT. IX.	<i>De homicidio.</i> - - - - -						115.	
TIT. X.	<i>De delictis moralibus, et politicis.</i> - - - - -						126.	
TIT. XI.	<i>De quasi delictis.</i> - - - - -						140.	
TIT. XII.	<i>De judiciis criminalibus.</i> - - - - -						145.	X
TIT. XIII.	<i>De accusationibus, querelis, inqui-</i>							
	<i>sitionibus, et denuntiationibus.</i> - - - - -						152.	
TIT. XIV.	<i>De pronunciatione reorum.</i> - - - - -						173.	
TIT. XV.	<i>De reo sub homagio, vel fidejusso-</i>							
	<i>ribus capto.</i> - - - - -						178.	
TIT. XVI.	<i>De securitatis litteris.</i> - - - - -						185.	
TIT. XVII.	<i>De probatione criminum.</i> - - - - -						193.	X
TIT. XVIII.	<i>De fallacibus criminum indiciis.</i> - - - - -						203.	
TIT. XIX.	<i>De defensione reorum.</i> - - - - -						209.	
TIT. XX.	<i>De sententia criminali, et illius</i>							
	<i>executione.</i> - - - - -						212.	
TIT. XXI.	<i>De appellationibus.</i> - - - - -						221.	
TIT. XXII.	<i>De requirendis, vel absentibus dam-</i>							
	<i>nandis.</i> - - - - -						222.	
TIT. XXIII.	<i>Quibus modis obligatio criminalis</i>							
	<i>solvitur.</i> - - - - -						228.	

Информация



INSTITUTIONUM JURIS CRIMINALIS LUSITANI LIBER SINGULARIS.

T I T U L U S I.

De delictis generatim, delinquentibus, et poenis.

§. I.

Ad jura *in rem* pertinent non modo *conventiones*, et *obligationes*, quae ex *xionis*,
lege, factisve *licitis*, de quibus ha- et ordi-
ctenus, descendunt; verum etiam,
quae ex *factis illicitis*, seu *maleficiis*
oriuntur, de quibus in Pandectis lib. XLVII., et
sequentib., et nostra Ordinatione lib. V. agitur:
quam juris nostri partem *terribilem* separatum ab
aliis explicare consultius nobis visum fuit. In ea
autem tradenda eum ordinem servabimus, ut
primum de delictis in genere, dein de variis de-
lieti speciebus, et tandem de ordine judicario
criminali differemus.

§ II.

Est autem delictum, *fæclum illicitum ad- Deli-*
versus legum sanctionem sponte admissum, Rei- etum
Tom. V. A *quid,*
pu-

publicae, vel singulis noxiis, quo quis et ad reparationem, si fieri possit, et ad poenam obligatur, Grot. de jur. bell. lib. II. cap. XVII. Delicti nomine nos hic generaliter intelligimus omnia crimina tam *publica*, quam *privata*; quae tamen jure Romano, si adcurate loqui velimus, distinguuntur, Robert. Animadvers. lib. I. cap. VI. Sub *facto illicito* intelligimus etiam *non factum*, quod fieri debuit, Henric. Coccej. ad Grot. cit.

Omissio illius, quod lex facere jubet, pro *facto illicito* habenda; adeoque delictum est, Blackstone Comment. Leg. Anglic. lib. IV. cap. I. Quare delictum committit, qui rem alienam invenit, nec eam denuntiavit, Ord. lib. 5. tit. 62. in princ. et §. 4. (Inst. de Jur. Rer. Tit. III. §. V.) Alia exempla petenda ex Ordinatione eod. lib. tit. 12. §. 6. ibi: *E o naō descobrio*, tit. 13. §. 5. cet. de quibus suo loco. Damnum reparare tenentur non modo veri delinquentes, verum etiam eorum heredes, infantes ipsi, et furiosi, qui delinqueret non possunt: ex officio enim naturali alterum non laedendi haec oritur obligatio, et tenentur etiam sine judicis iussu: poena autem semper ex judicis facto, et sententia dependet: et haec inter damni reparationem, et poenam differentia est, Pufendorf. De jur. Nat. et Gent. lib. VIII. cap. III. Creman. De jur. crimin. lib. I. P. II. cap. I. §. 80. Henric. Coccej. Dissert.: *De oblig. hered. ex delict. defuncti.*

§. III.

Est vel verum, vel quasi. Quum vero factum illicitum vel *dolo malo* committatur, vel *culpa*; illud *verum delictum*, hoc *quasi delictum* appellatur (Inst. De obligat. et act. Tit. I. §. III.)

Quasi delicti exemplum est homicidium culpa, negligentiave admissum, Ord. lib. 5. tit. 35. in princ. ibi: *Serā punido, e relevado segundo sua culpa, e innocencia*; damnum ab iis datum, quorum opera, et ministerio nautae, caupones, et stabularii utuntur, Ord. eod. lib. tit. 64., et sexcenta alia, de quibus speciali Tit. XI. a nobis inferius agendum est.

§. IV.

§. IV.

Utrumque vel *publicum* est, quod publicam rem, et securitatem laedit, et publica animadversione vindicatur; vel *privatum*, quod ad privatorum praesertim laesionem tendit, ab eis solum, quorum interest, vindicandum.

Dantur etiam *quasi delicta publica*, veluti homicidium, vel incendium culpa admissum. De privatis nullus dubitat, quo pertinent tituli *Naut. caup. stab.*, et *de effus. vel deject.* Quae sint delicta publica in sensu juris Romani bene explicat, prout suus mos est, Heineccius ad tit. *De privat. delict.*, et *De extraordinar. criminib.* Distinctio inter delicta publica *ordinaria*, in quibus poena *legitima*, et processus follemissis publicis legibus est constitutus, Lect. ad tit. *De public. jud.* apud Otton. tom. I. Thesaur. Jur. Rom., et *extraordinaria*, quae extra ordinem vindicantur, nullum usum habet; namque forum nostrum ignorat crimen sine lege, quae factum prohibeat, et ignorat etiam poenam mere arbitriam; nam, quae a judice, lege permittente, infertur, legitima quodammodo est. Non male tamen iure nostro delicta publica vocantur, quae quivis e populo potest accusare, de quibus Ord. lib. 5. tit. 117. in princ. Emm. 42. eod. Furtum, et rapina nobis delictum publicum est, itemque damnum grave alicui dolo datum: quae aliter se habent jure Romano. Injuria autem *verbalis* privatis delictis accensenda.

§. V.

Porro delicta vel *capitalia* sunt, vel *non capitalia*, *atrociora*, vel *simplicia*, *facti permanentis*, quae vestigium post se aliquod relinquunt, vel *transiuntis*, quae non relinquunt. Haec autem crimina ab aliis non ratione poenae, vel atrocitatis, sed processus tantum ordine, et inquisitione differunt. Alias divisiones consulto omittimus. Vide, sis, Philipp. Mariam Renazzi Elem. Jur. Crim. lib. I. cap. XV. Joann. Thaddeum Muller Jur. Crim. tit. I. §. I. et II.

§. VI.

Corolla-
ria ex na-
tura, et
definitio-
ne de-
lieti.

Quia vero delictum est factum illicitum spon-
te admissum Reipublicae, vel privatis noxiis,
plura inde consequuntur; 1.) factum licitum de-
lictum non esse, quamvis ex eo alterius damnum
sequatur, modo consilium alterius laedendi absit,
§. 4. 5. Inst. De leg. Aquil.; nullius enim vi-
detur dolo facere, qui suo jure utitur, l. 55. De
reg. jur.: 2.) nec illicitum in insania, furore,
perfectave ebrietate commissum, vel per erro-
rem, ignorantiamve facti, vel juris involunta-
riam, et invincibilem, dict. §. 4. 5. Inst. De
leg. Aquil. l. 38. §. 5. De poen. Heinecc. De
Jur. Nat. lib. I. cap. IV. §. CCVI. et seq. *Filan-*
gieri Scienza della Legislazione tom. IV. cap.
XXXVIII., ubi rem hanc mirifice illustrat. De-
lictum igitur committere non possunt mentecapti,
furiosi, nisi intermisso furore delinquisse constet,
nec veri melancholici judicio Medicorum, Stryk.
De dement. et melanchol.: ebrii non affectati,
et furioso similes, a quibus scilicet abest intel-
lectus, et voluntas, unicum humanarum actionum
principium, Bodin. *De jure circa ebrios*
cap. IV., Bechmann. *De poen. et jur. ebrior.*
cap. IV. V. *Jure Romano per vinum, aut lasci-*
viam lapsis capitalis poena remittitur l. 6. §.
7. ff. *De re milit.* Angliae autem legibus poena
in ebrios augetur, *Blackstone* tom. V. lib. IV.
Cap. II. §. III. *Vino namque mersti, si quid ma-*
li perpetraverint, injuriam faciunt, quando-
quidem ipsi sibi ignorantiae caussa fuerunt. Non
enim decuit eos tantum bibere, Aristotel. Magn.
Moral. I. XXXIV. Vid. *Pastoret* tom. II. Cap.
VII. Art. III.: *dormientes somno penitus sepulti,*
Thomas. *De jur. circa somn.* Cap. V. §. XVI. :
ira-

irati verbis ita ab aliis lacefitti , ut a mente plene alienati videantur ; namque ira brevis furor est , l. 11. §. 2. De poen. : *impuberes* fraudis , et doli expertes , §. 18. Inst. De obligat. , quae ex delict. nasc. Nimis ergo crudele fuit judicium capitale pueri , qui laminam ex Diana templo sustulerat , apud Aelian. lib. IV. Var. Hist. cap. XVI. : *puberes* autem XX. annorum in delictis pro majoribus habentur , et ordinaria poena puniuntur , Ord. lib. 5. tit. 136. Emm. 88. lib. 3. (Inst. De Jur. Personar. Tit. XIII. §. VII.). Et ii denique , qui vi externa coacti , aut perterriti , cui constantissimus animus facile cederet , factum illicitum committunt , Heinecc. cit. §. CIX. CXI. , Martini Jur. Natur. Posit. cap. V. §. 183. 184. 185. 195. : 3) *simplicem cogitationem* delictum non esse , l. 18. De poen. ; nam delictum omne ex re nascitur , id est , ex facto , quod cogitationi opponitur , princ. Inst. De oblig. quae ex delict. nasc. : contra vero *conatum* in actus extenuos erumpentem pro delicto habendum ; mitius tamen puniendum , speciali lege deficiente , quae eadem poena *conatum* aequa ac *effectum* afficiat , Bynkershoech. Observat. III. 10. : 4) *casus fortuitos* non esse praestandos , sed dolum tantum , vel culpam , §. 3. 4. Inst. De leg. Aquil. Non imputatur ergo navarchae naufragium , si in culpa non fuit , ut navis periret ; nam , ut bene Tacit. Annal. XIV. 3. : *quis adeo iniquus , ut sceleri adsignet , quod venti , et fluviis deliquerunt :* 5) *factum illicitum* , civili tamen societati , aut civibus innoxium , veluti ebrietatem privatam , ambitionem , et mendacium , quo jus alterius non laeditur , cet. , delictum non esse. Distinguenda ergo peccata , et hominum vitia a publicis , privatisque delictis , Heinecc. De Jur. Nat. lib. II. cap. VIII. §. CLXII. Stryk. Us. mod. ad tit. De

privat. delict. §. 2. in fin. Renazzi Elem. Jur. Crimin. lib. II. cap. II. §. IV.

Haec, et alia Naturalis, et Publici Universalis juris principia, quae ex proprio fonte haurienda, per indicem veluti adnotare placuit, ne illotis, ut aiunt, manibus rem aggrediamur. Plura autem pertinent ad prudentiam legislatoriam, quae non punit actus mere vitiosos, et lapsus minutissimos, a quibus nemo fere mortalium immunis est, Pufendorf. De offic. homin. et civ. lib. II. cap. XIII. §. XI. XII. XIII. XIV. Bene hanc in tem Boehlerus Exercit. XCIV. cap. II. §. III. : Quod si quaecumque vitia in censuram poenarum trahenda, aut delictis accensenda, infinita adhuc tribunalia erigentur, et judicium copia magnopere augenda, quo ipso tamen medicina excedit modum. Sicuti autem quaelibet corporis imbecilitas, mala dispositio, aut defectus, vel excessus in dormiendo, edendo, eundo, medicinam non statim desiderat, sed si quis tam slante forsitan ageret, ut ad eam quotidie refugium sumeret, medicinam in cibum ordinarium verteret, corpore adeo ad eam assuetu, ut nullum amplius fructum ferre posset, sed virtutem suam amitteret: ita pariter si omnes naevi humani generis, qui ut plurimum in defectu, vel excessu, vel contra honestatis tramitem, aut modum in decoro committuntur, coercendi forent, coercitio in consuetudinem degeneraret, quam homines quotidie devorore eegerentur. Ast quantae inde turbae? quanta mala, et contentioneerum fomenta, rixis de excessibus in immensum propagatis auctisque! Quotus quisque est, qui non excedat in libidine plus habendi, quae vitio quidem inquinata, sed labe delicti caret... Machiavellistarum plena sunt omnia. Totius enim injustitiae nulla capitalior est, quam eorum, qui cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur, ut verbis Ciceronis lib. I. Offic. §. XIII. utat: Nec tamen (prosequitur idem Boehlerus) hoc cacoethes legibus eradicari, aut tolli potest, et quia occultum est, probatuque difficile, judiciariam severitatem regulariter effugit. Bene etiam Seneca de ira lib. II. cap. XXVII. : Quanto latius officiorum patet, quam juris regula? Quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quae omnia extra tabulas sunt. Auctor opellae Del dritto de punire cap. II. §. VII. Not. III. serio contendit pro omnibus pravis hominum actionibus licet internis, nec publicae, privataeque saluti noxiis poenas dictandas esse, ac repetendas. Qua jurisprudentia nulla absurdior tradi potest, ac crudelior, nec generi humano feralior.

§. VII.

§. VII.

Haec cum ita sint, illud tandem consequitur, cives ea omnia libere, et impune facere posse, quae civitatis legibus speciatim non inveniuntur prohibita; et hic necessarius effectus est libertatis civilis.

Libertas civilis vocatur, quae homini in statu sociali competit. Consistit in facultate, qua quis civium gaudet, omnia pro libitu agendi, quae legibus permittuntur; resultatque ex fiducia, quam in bene composita civitate cives habent, nihil quidquam patiënti, quod sibi non sit jure ferendum. Quae libertas a legibus criminalibus vel maxime pendet, quae, naturalem restringendo libertatem, iubent, ut cives actiones quasdam agant, alias contrahomittant, sancita poena adversus illarum violatores, Renazzi cit. in Prolegomen., *Principe Fondamental du Droit des Souverains* tom. I. Genov. 1788. pag. 147. et seq.

§. VIII.

Universitas si factum illicitum per eos, qui De universitate delinquentem
eam repraesentant, committat, pro delinquente
habenda, et punienda, cum persona moralis sit, et publicis civitatis legibus quemadmodum physica subjecta, Gundling. *De univers. delinquent.*
Leyser. *De delict. Colleg.* Grot. *De Jur. Bell.*
lib. II. cap. XXXI. §. II. et seq. (§. XXV. h.
Tit. et §. V. Tit. IV.)

Quod ex Ulpiano dicitur in l. 160. §. 1. De reg. jur.:
Refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem,
in caussis tantum civilibus locum habet.

§. IX.

Delinquentes sunt tam *Agentes*, quam *Complices*; verum namque delictum committit, qui qui. quocumque modo caussa est damni dati. Dicuntur *Agentes*.

tur *Agentes* non solum, qui factum ipsum illicitum perpetrarunt, quique eidem patrando adfuerunt, auctoremve illius opera, et facto juvarunt; verum etiam qui societatem ad delinquendum fecerunt, et ad facinus quodpiam perpetrandum inter se convenere, Coccoej. Heinr. tom. II. Disput. XXX. *De soc. crimin.* §. XV. seq. *omnes que tenentur in solidum.* L. 34 ff. *se in j. T. lib. cl. 265. 3. fin. quatt. 83 n. 7.* §. X.

Compli-
ces.

Complices, qui delictum quidem non perpetrarunt, nec eidem praesentes fuerunt; concussum tamen ad delictum faciendum quovis alio modo dederunt, de eove participarunt, *Traité des delits* §. XXXVII., *Blackstone Comment.* Leg. Anglic. lib. IV. cap. III. Et tales sunt, 1) qui delictum fieri mandavit: illius tamen principalis auctor est, qui jussit, non qui fecit, si aliter non fecisset, *Donell. lib. XV. Comment.* cap. XXXI. *Heliger. ad eund. litt. Aa:* 2) qui delictum non in genere, sed in specie hortatur, suadet, et consilio malo, vel praemio, vel magnis instigationibus ad delinquendum invitat, *Stryk. Disput. De imput. fact. alien.* cap. V. n. 59.: 3) qui delictum, quod facto impedire poterant, et de jure tenebantur, non vertant, nec impe- diunt, *Grot. lib. II. De Jur. bell. ac pac.* cap. XXXI. §. I. II.: 4) qui sciens de delicto participavit, *Ord. lib. 5. tit. 60. §. 5. l. 53. De furt.*: 5) receptatores, *Ord. lib. 5. tit. 105., l. 1. ff. De receptatorib.* Qui crimen jam factum laudant, assentantur, vel ratum habent, non sunt complices, cum ad illud non concurrent, *Coccoej. cit. Complices mitius quam Agentes puniuntur, speciali lege cessante, quae eadem poena omnes afficiat, Blackstone Comment.* Leg. Anglic. cit., *Discurso sobre las penas contrabido a las leyes*

JURIS CRIMINALIS LUSITANI. 9
leyes criminales de Hespaña por Don Manuel de
Lardizabal y Uribe, Madrid 1782. cap. IV. §. II.
n. 32.

§. XL

Obligantur delinquentes et ad damnum repandum, et ad poenam (§. II. h. Tit.). Quae obligationes ex re nascuntur, id est, ex facto lae- Unde obligatio
fionis externo, princ. Inst. De obligat. quae ex crimin-
delict. nasc., quin propterea consensus excluda- lis, et
tur; nam delictum non male *contraētus involun-*
tarius ab Aristotele dicitur V. Ethic. Nicom. jūs pu-
cap. II., et *malus contraētus* vocatur a Jurecon- niendi.
sulto in l. 52. De re jud. l. I. Cod. Si advers.
delict. Ex renuntiatione igitur jurium, quae civi-
bus et in se ipsos, et in alios competunt, jus pu-
niendi nascitur, quod pactum sociale pro funda-
mento habet. Vide, sis, Platonem Dialog. IX.
De legib., Cajet. Filangieri Scienza della Legis-
lazione tom. IV. cap. XXVII., Principe Fondamen-
tal du Droit des Souverains tom. II. pag. 141.

§. XII.

Est autem poena, definitore Grotio De Jur. bell. ac pac. lib. II. cap. XX. §. I., *malum pas- poenae,*
sionis, *quod infligitur ob malum actionis*; cui *et in*
addendum verbum a *superiore*, ut a privata vin- *quo a*
dicta discerni possit. Grotio proxime accedit Wol- *restitu-*
fius Inst. Jur. Nat. et Gent. P. I. cap. III., ubi *seu repa-*
poenam definit: *Malum physicum ob malum mo- ratione*
rale, immissum ab eo, qui obligandi jus habet. *differat,*
Differt poena a restituzione, seu reparacione inju-
riae. Nam restitutio, seu reparatio injuriae postu-
latur propter laesionem juris perfecti; poena ve-
ro irrogatur propter violationem legis: adeoque
in restituzione attenditur *quantitas laesioris*; poe-
na

TO INSTITUTIONES

na autem non tam ex *quantitate laesioris*, quam ex *quantitate moralitatis*, qua quis delictum commisit, determinatur, uti bene ait *Schrodt System. Jur. Publ. Univers. P. II. cap. III. §. III.* Et hinc est, quod pupillus, et furiosus, quamvis non obligentur ad poenam, ad damni reparationem tenentur, idem §. XVIII. Not. *Satisfactio ambitu suo et damni reparationem, et poenam complectitur, Grot. eod. lib. cap. XVII. §. XXII. (§. II. Not. h. Tit.)*

Est autem poena quantum fieri potest delicto exaequanda, et ex illius natura, et indele defumenda. Itaque qui Religionem violant, iuribus multentur, quae ab ejus cultu, et obsequio profiscuntur. Qui bonos mores, vitaenque honestatem contemnunt, ab aliis spernantur, dedecore obruantur, infamia notentur. Perturbatoe publicae securitatis, ejiciantur e civitate, aut libertate priventur. Qui civium securitatem laedunt, illorumque corpori, bonis, aut famae nocent, corpore poenas luant, aere multentur, existimationis jacloram subeant. Bene Cicero III. De legib. §. XX. : *Noxiac poena par esto, ut in suo vitio quisque plectatur: vis, capite: avaritia, multa: honoris cupiditas, ignorinia sanctiatur.* Hoc tamen non impedit, ut possit legislator poenas unius criminis proprias ad aliud delicti genus opportune transferre, prudenterque, data occasione, accommodare. Vide, sis, *Montesquieu Esprit des Loix lib. XII. cap. IV. d'Alembert Element. Philosoph. art. VIII.*, Autorem libri: *Saggio sopra la Politica, e la Legislazione Romana cap. VII. pag. 183.*

§. XIII.

Illijs objectum. Objectum poenarum est et laesi *adsecuratio*, et laedentis *emendatio*, et aliorum *exemplum*; ut scilicet alii a simili facinore perpetrando deterreantur, Grot. lib. II. cap. XX. §. VI. et VII. : quae omnia his verbis complectitur *Seneca de Clement. lib. I. cap. XXII. : In vindicandis injuriis haec tria lex sequuta est, quae Princeps quoque sequi debet: ut eum, quem puniri, emendet, aut*

aut ut poena ejus ceteros reddat meliores, aut ut, sublatis malis, ceteri securiores vivant. Injusta igitur est vindicta, eaque et ab Imperantibus officio, dignitate, atque humanitate quam maxime aliena; namque sola ultio nec delinquentis emendationem, nec aliorum salutem intendit.

Eleganter idem Seneca lib. II. De ira cap. XII.: Exsc*quor*, quia oportet, non quia dolet. Praeterea, teste Platone in Protagora: Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Vide, sis, Aristot. Politic. lib. VII. cap. XIII. et Hobbes. De cive cap. III. §. XI.

§. XIV.

Poena vel *capitalis* est, et haec *simplex*, Poenae
atrox, aut crudelis; vel non *capitalis*, eaque ^{Poenae}_{divisio}.
vel *corporis afflictiva*, vel non *afflictiva*, pecu-
niaria, honesta, vili*s*, legitima, vel arbitra-
ria.

§. XV.

Capitalis simplex dicitur, quae simplicem Capitalis quo-
tantum vitae ademptionem continet, veluti *de- tuplicem*.
collatio, vel *suspendium*: *atrox*, cui quidquam ac-
cedit, quod poenam auget intra limites humani-
tatis, et justitiae, veluti *confiscatio bonorum*,
flagellatio, *corporis post mortem combustio*, vel
sectio, *proscriptio memoriae*, et similes: *crude- lis*, quam natura ipsa abhorret, et talis est,
quae vitam naturalem non uno eodemque momen-
to, sed lente, et variis, exquisitisque tormentis
tollit, veluti si quis vivus comburatur, telis, sa-
gittis, veneno, vel inedia perimitur, fustibus,
aut virgis ad mortem usque afficiatur, de faxo
praecipitur, vivus in terram defodiatur, vel
transversis equis membratim discerpetur, cet.,
quae animus meminisse horret. Idem judicium es-

to de poena membra alicujus amputationis , quam Justinianus ipse prohibuit Novella 134. cap. ult. *Simplex capitalis*, vel *atrox justa* est, et in Republica necessaria , eaque pro criminis qualitate, et atrocitate infligenda , et augenda : *crudelis* injusta , et vix ac ne vix quidem admittenda, Anton. Matth. ad tit. De poen. §. III.

Nota sunt , quae de injustitia poenarum capitalium disputant *Beccaria* Tract. De delict. §. XXVIII., Auctor operis *De l' Etat naturel des Peuples* tom. II. P. II. Sect. II. N. I. cap. I. II. III., *Pastorat des Léoux penales* tom. I. P. II. cap. I. Art. I. et sequentib. , cet. : et nota etiam sunt , quae eisdem recte opponunt Auctor *Instructionis Pruss.* Cod. form. art. 7. in fin. , *Mr. Vermeil*. *Essai sur les réformes dans notre Legislation Criminelle* P. I. cap. V. *Mr. Bernardi Principes des loix Criminelles* tit. II. §. II. *Mably de la Legislation* tom. IX. lib. III. cap. IV. pag. 277. *Filangieri* cit. tom. IV. cap. XXX. XXXI. , qui omnes justitiam poenarum capitalium in gravioribus delictis defendunt. Quae hic dicuntur de poenis plus quam atrocibus , id est , *crudelibus* abolendis , una hodie Philosophorum omnium vox est. Eisdem tamen criminales Europae Codices admittunt , et nostrae quoque Ordinationes criminales , utut humaniores , in gravioribus quibusdam maleficiis , veluti vivicombarium in crimen monetae adulteriae , Ord. lib. 5. tit. 12. in fin. princip. , *sodomiac* , Ord. tit. 13. in princ. et §. 1. 2. , *coitionis cum bestia* , ead. Ord. , *cum ascendentibus* , vel *descendentibus* , Ord. tit. 17. in princ. Sed , praeterquam quod haec Ordinationes in usu non sunt , de corporis post mortem combustione intelligendae videntur. In crimen laesae majestatis poena mortis *crudelis* speciatim decernitur Ord. lib. 5. tit. 6. §. 9. ibi : *Morra morte natural cruelmente*. Adverbium tamen *crudeliter* pro *atrociter* scriptum videtur : crimen enim majestatis , inter crima maximum , gravissimas quidem depositit poenas , et multo quidem atrociores , quam *simplex* homicidium , vel *qualificatum* : ast non *crudelis* ; nam semper *cavendum* est , ne nimia suppliciorum acerbitate humanitatem exuisse videamur , Matth. et Mably cit. *Nihil est enim tam deformis* , quam ad summum imperium acerbitatem naturae adiungere , Cic. ad Quint. Frat. Epist. I. , *Discurso sobre las penas* cit. cap. V. §. II. n. 21. 22. et 23. et §. IV. n. 9.

§. XVI.

Mors civilis, quae vitam civilem, et jura
civitatis tollit, capitalis poena non male appellatur,
quaecadit 1) in deportatum, hoc est, proscriptum (*desnaturalizado*) Ord. lib. 2. tit. 13.
in princ. et similib. : 2) in perpetuo relegatum
cum publicatione bonorum, quippe quia pro de-
portato habetur; et hic notandum verbum *dester-
rar* significare simplicem relegationem, et depor-
tationem: 3) in carcere perpetuo mancipatum,
Phaeb. II. P. decis. 155. Barb. ad Ord. lib. 5. tit.
120. Vallasc. alleg. 13. n. 58. (Inst. De Jur. Per-
sonar. Tit. II. §. XII. XIII.)

*Mors ci-
viles.*

Cui plus licet, non potest quod minus est non licere:
ei igitur, qui vitam naturalem jure adimere potest, dene-
ganda non est potestas civilem adiunendi. Haec autem poe-
na, qua civitatis omnia jura tolluntur, in eos tantum ca-
dere debet, qui graviter peccant, quique civitatis, vel ci-
vium jura graviter laedunt, *Vermeil*. cit. cap. XII. Cete-
rum jure nostro exsilii perpetui poena numquam sine praec-
onio in audientia, vel vicatim intelligitur, Resolut. 2.
Decembr. 1716. apud noviss. Repert. fol. 201. Ea autem
in Democratia, in qua cives omnes aequalibus juribus fruun-
tur, valde utilis est, et civibus promiscue omnibus infligenda:
in Aristocracia Nobilibus tantum; nam in Plebeiis,
quibus honores omnes, et suffragia sunt adempta, exsilium
vel nulla poena est, vel admodum levis. In Monar-
chia hanc poenam in omnibus, et singulis civium ordi-
nibus Reipublicae exitiosam esse existimat *Filangieri* cit.
cap. XXXV. An recte alii videant.

§. XVII.

Sub poenae pecuniariae nomine vel maxime *poena*
venit *confiscatio* bonorum, quae inter jura rega- *pecuniaria-*
lia refertur, et locum habet in defectum descen- *ria*
dientium, vel ascendentium ad tertium usque gra-
dum,

dum , et iis etiam exstantibus , quando speciatim a
lege imperatur , Ord. lib. 2. tit. 26. §. 28. 29. 30. 31.
et lib. 5. tit. 126. et tit. 127. , Novell. 134. cap. ult.

Poenam confiscationis bonorum ipso jure incurunt dam-
nati ad mortem tam naturalem , quam civilem ex dictis
Ordinationibus , quae magis consuetudinibus , legibusque feu-
dorum , quam Romanis originem suam debent . Jam vero
quale hodie etuditorum de poenis fiscalibus judicium sit ,
mutato Reipublicae statu , et in tantis opibus , quibus
abundant Imperantes , sciunt profecto omnes , Beccaria
cit . §. VII. , Comment. ad eumd. §. XXI. tom. I. Biblioth.
Briffot , Vermeil . P. I. cap. XIII. Grot. De jur. bell. ac
pac. lib. II. cap. XXI. §. IX. et XVI. , Schrodt Jur. Publ.
Univ. tom. II. P. II. cap. III. §. XXI. XXII. Et certe
humanitas suadet , ut filiis saltē portio legitima servetur ,
et tertia tantum fisci lucro cedat , Bernardi cit . §. VII. ,
Traité des corps politiques lib. III. cap. X. Humanissimum
itaque est Hadriani relictum in favorem filiorum Albini ,
quibus bona paterna a fisco jam vendita , et distracta con-
cessit , cum ampliati imperium hominum adjectione potius ,
quam pecuniarum copia malit , l. 7. §. 3. De bon. dam-
nat. Mulcta autem pecunaria , ut justa sit , et proportio-
nem aliquam servare possit , inter delinquentes pauperes
aque ac divites imperanda est non pro certa summa , et
quantitate , quae aequalitatē nullam habet , nec poena
aequalis est in tam inaequali fortuna , sed pro certa por-
tione honorum , veluti tertia , vel quarta , Filangieri cap.
XXXIII. Huic rei demonststrandae exemplo satis est poena in-
juriarum legibus XII. Tabular. fancita , quae nullum me-
tum incutiebat hominibus protervis , ac bene nummatis ,
de qua Gell. Noct. Attic. XX. I. Videndum Auditor Dis-
curso sobre las penas supra cit. cap. V. §. V. n. 16. , qui
regnante Carolo III. , Castellas Rege , scribere non dubita-
vit : Pero de qualquier naturaleza que sean los bienes , y por
atror que sea el delito , me atrevo sin rezelo á decir , que
es una cosa muy inhumana y cruel , precipitar con la confis-
cacion en el abismo de la miseria á una familia inocente por
los delitos que no ha cometido . No temo hablar de esta fuer-
te en un tiempo en que tenemos la dicha de vivir baxo el
felicissimo gobierno de un Principe piadoso y benigno , padre
mas que Señor de sus vasallos , y de quien sin lisonja ni adul-
acion alguna puede con toda verdad decirse , lo que el ilustre
panegirista del grande Emperador Trajano decia en otro tiem-
po : Es muy grande gloria para los Príncipes , que sea ven-
ci-

cido las mas veces el Fisco , cuya causa solo es mala , quando gobierna un Principe bueno , Plin. Paneg. c. 26. Videnda Novella XVII. cap. XII. (Tit. XX. §. VII.)

§. XVIII.

Poena *vilis* delinquentem infamat , et talis ^{Honestas ,}
est fustigatio , flagellatio , praeconum cum fune
per plateas , vel in audiencia ad collum alli-
gato , amputatio manus , vel alterius membra ,
damnatio perpetua , vel temporalis , ad triremes ,
opusve publicum , Ord. lib. 5. tit. 139. , Phaeb.
I. P. Arest. 147. , et 148. *Honestia* non infamat ,
et talis semper habita fuit decollatio.

Infamia ferenda in delictis natura sua famosis , vel pro
talibus publica hominum opinione habitis , qualia sunt
furta , amicorum preditio[n]es , cert. Sapienter autem haec
poena decernitur in delictis , quae ex superbia , ambitio-
ne , vel ex virtutis , pietatisque simulatione , id est , ex
hypocrisi oriuntur , quibus maxime adverfantur infamia ,
abjectio , et ridiculum ; contraria enim contrariis curan-
tur. Haec autem poena , honestis gravissima , vix alicuius
utilitatis est iis sceleratis , qui de bono nomine non cu-
rant , et inferioris quoque conditionis hominibus , qui ci-
vium praerogativas parvi faciunt , et nullam honoris pu-
blici notionem habent. Cauta tamen , et non nisi rarissime
ea utendum . nam , si saepius irrogetur , multis , aut novis
ipsa criminibus occasionem praebet , aut sensim vim suum
perdit , poenaque tandem esse definit.

§. XIX.

Poenae *carceris* publici , vel secreti in per-
petuum , vel ad tempus passim in legibus nostris poena.
mentio fit. Ea tamen , cum gravis sit , et homi-
nis libertati naturali maxime contraria , ut juste
decerni possit , plura concurrent oportet ; quo-
rum primum illud est , ut in carcerem nemo , ni-
si judicis mandato , et justa de caussa , id est ,
ex

ex delicto, cui similis poena lege inficta sit, et juris ordine servato, conjiciendus, Ord. lib. 5. tit. 119. in princ. Emm. 42. Alph. 58., ubi referuntur Alphonsi IV., Petri, et Joannis I. leges prudentissimae. In delictis tamen capitalibus in carcerem statim detrudi possunt de crimine quovis modo suspecti, vel in rixa deprehensi, si illius auctores esse videantur, qui intra octo dies carcere liberandi, nisi criminosi apparent, Extravag. 6. Decembr. 1612. §. 14., quam vocant *Da reformaçao da Justica*, apud Ord. lib. 5. tit. 130. Coll. I. N. I. Diplom. 19. Octobr. 1754. 5. Mart. 1790. Secreto autem carcere ultra quinque dies nemo retinendus, Decret. 7. Aug. 1702. Dipl. cit. 5. Mart. 1790., neque catenis in carcere securo umquam devinciendus, carcerisve ferris praegravandus, nisi in gravioribus delictis, causa prius cognita, Decret. 30. Septembr. 1693. apud Ord. lib. 5. tit. 95. Coll. II. N. I.

Carceris, seu custodiae qualitas ex delicti praesertim, et delinquentis qualitate pendet: non enim eodem carcerre omnes retinendi: alio proditores, assassini, fures; et alio qui correctionis causa capiuntur, includi debent. Omnia autem causa celeriter, quantum fieri potest, terminanda, ut aut convictos velox poena subducatur, aut liberandos custodia diurna non maceret, l. 5. Cod. De custod. reor. Humanum porro est, quod in l. 1. eod. habetur: Interea vero reum exhibitum non per ferreas manicas, et inherentes offibus mitti oportet, sed prolixiores catenas (si criminis qualitas etiam catenarum acerbitatem postulaverit) ut et cruciatio defit, et permaneat sub fida custodia. Nec vero sedis intimae tenebras pati debet inclusus, sed usurpata luce vegetari, ac sublevari: et ubi nox geminaverit custodiā in vestibulis carcerum, et salubribus locis recipi: ac revertente iterum die ad primum solis ortum illico ad publicum lumen educi, ne poenis carceris perimitur: quod innocentibus miserum, noxiis non satis severum esse digneatur. Illud etiam observabitur, ut neque his, qui Stratorum funguntur officio, neque ministris eorum liceat crudelitatem suam accusatoribus vendere: et innocentes intra carcerum septa letho dare, aut subtra-

tractos audientiae longa tabe consumere. Non enim existimatio-
nis tantam, sed etiam periculi metus Judicii imminebit, si ali-
quem intra debitum tempus inedia, aut quocunque modo oли-
quis Stratorum exhauserit, et non statim eum penes quem effi-
cium custodiae est, atque ejus ministros capitali poenae sub-
jecerit.

§ XX.

Non conjiciuntur in carcerem publicum No-
biles, qui *homagio* gaudent, id est, jure liberae
custodiae, quae a judice petenda est, ab eoque
neganda, restringenda, vel amplificanda pro de-
linquentis, et delicti qualitate, Ord. lib. 5. tit.
120. Emm. 67. Alph. 94. (Tit. XV. §. II.)

Alio sensu *homagium* significat jusjurandum clientelae,
seu fidelitatis, quod Vassallus Domino, vel Pro-Rex, ar-
cile Praefectus Regi certa formula praefstat, quae in Re-
gni Cancellariae libris habetur, Recend. Chron. Joannis
II. cap. XXVII. XXVIII. *Ruy de Pina* Chron. ejusdem Re-
gis cap. V., Ord. Emm. lib. 1. tit. 55. § 4. (Histor. Jur.
Lusit. §. LXXII.). Hoc autem jure Nobiles jam ab Alphon-
so III. utuntur, quod a Petro I. ad illorum petitionem
approbatum in comitiis *Helbis* civitate habitis, et ab Al-
phonso V. demum explicatum, in citatam Emmanuelinam,
et Philippinam Ordinationem postea translatum fuit. Amit-
titur homagium, si reus a loco assignato discedat, Ord.
lib. 3. tit. 120. §. 4., eo autem semel amisso, non resti-
tuitur, Ord. cit. §. ult. Restitutionem tamen ex Seba-
tiani lege 2. Decembr. 1554. §. 17. apud Leon. 1. p.
tit. 4. l. 1. Palatii Senatores dabant: hodie autem aliter
se res habet, cum facultas eamdem concedendi in novo
Regimine declarata non sit, prout necessarium erat, Val-
lasc. Alleg. XIII. n. 235. Phaeb. p. 1. arest. 142. Mend.
in Prax. lib. V. cap. I. n. 21.

§. XXI.

Talionem leges nostrae non omnino ignorant, Poena
Ord. lib. 3. tit. 60. §. 5. et lib. 5. tit. 85. cet. talionis,
Talio autem, hoc est, *jus*, quo quisque tantum- legitima,
Tom. V. C arbitra-
dem ria.

dem patitur ac fecit, intelligi non debet de retribuendo ejusdem generis malo, ceu de naturali, et aequali vulnere infligendo, neque profecto in omnibus delictis, veluti moralibus, si ad litteram accipiatur, locum habere potest; sed de vera dumtaxat delicti mensura, ac aestimatione, et justa damni reparatione, Henr. Coccej. Disput. *De sacros. tal. jur.* §. III. et seq. Heinecc. lib. II. Jur. Nat. cap. VIII. §. CLXV. Nimurum mensura atque proportio inter crimen et poenam non aequalis numero est, quam *arithmeticam* vocant, sed *geometrica*. Vid. Joann. Cleric. et Calmet in Cap. XXI. Exod. Poena *legitima* ea dicitur, quam lex speciatim declarat: *arbitraria*, quam sine lege judex determinat, quae tamen legitima est, si illius arbitrio relinquatur, uti saepius fit, Ord. lib. 5. tit. 137. in princ. et §. ult. in fin. ibi: *Os condemne no degredo, que lhes bem parecer*, et passim. Poena arbitraria ad mortem sine speciali legis permissione non extenditur, Ord. lib. 5. tit. 136. ibi: *E se for de idade de dezaseste annos até vinte, ficará em arbitrio dos fulgadores dar-lhe a pena total, ou diminuir-lha posto que seja de morte natural.*

§. XXII.

Qui puniendi.

Puniendi autem dumtaxat delinquentes, five *Agentes* sint, five *Complices* (§. IX. X. h. Tit.); adeoque nulla poena afficiendi filii ob delicta parentum, l. 22. Cod. De poen. l. 26. ff. eod.; heredes ex delicto defuncti, Coccej. Dissert. *De obligat. hered. ex delict. defunct.* Sect. III. et IV.; fidejussiores ex delicto alieno poenam promittentes, quae in illorum potestate non est, Grot. De Jur. bell. ac pac. lib. II. cap. XXI. §. XI., Ord. lib. 3. tit. 46. (§. VI. h. Tit.)

§. XXIII.

§. XXIII.

Et ea tantum delicta punienda , quae delicta sunt sapientum , non vulgi opinione ; quae punita delinquentis , vel aliorum exemplo , et emendationi esse possunt ; et quae demum rem publicam , vel cives laedunt. Magicae igitur artes , beneficia , sortilegia , praestigia , imprecations , incantationes , cetera , quae *magiae* nomine venire solent , et daemonum potestati vulgo tribuuntur , inter plebis errores referenda , Rieg. P. IV. Jurisprud. Eccles. §. CCCLXXXVIII. cum seq. Thomas. *De crimin. mag.* Bodin. Dissert. *De fallacibus magiae indicis.* Quare benefici , et incantatores non tamquam veri delinquentes , sed tamquam superstitioni , et fanatici homines tractandi sunt : itaque non poenis ullis afficiendi , sed publice deridendi potius , et salubriter instituendi , *Filang.* cit. cap. LVI. Nostrae Ordinationes lib. 5. tit. 3. Emm. 33. Alph. 42. , quibus beneficia , et incantationes plus justo puniuntur , errorem communem pro fundamento habent , et Romanorum superstitiones leges tit. *De malefic.* et *mathem.* utroque Codice relatas , et apud Paul. Recept. sent. lib. 5. tit. 23. §. *Magicae artis consciens* , et *Visigothicas* lib. VI. tit. II. *De maleficiis* , et *consulentibus eos* ; quae propterea per non usum videntur abrogatae. Verum autem delictum committit , qui mortem sibi conscientia criminiis ; mors enim voluntaria est malum morale , quod eligi non potest , Wolf. *Philosoph. Moral.* §. CCCXL. seq. Ceterum , quidquid sit *de moralitate actionis* , quam hodie multi Zenones defendant , veluti Abbas a S. Cyrano *Traité sur le suicide* , Maupertuys *Essai de Phil. Mor.* cap. V. , cet. hoc

hoc delictum impune est , vel quia illius auctor potestati humanae jam non subditur , vel quia quem propriae vitae , filiorum , uxoris , et cognatorum amor ab eo patrando non deterret , minus deterrere potest poena post mortem inflicta , *Mr. Vermeil.* pag. 132. *Renazzi* lib. I. cap. X. §. VI. VII. VIII. IX. Is tamen puniendus , qui conscientia criminis mortem sibi consivit metu crudelis , vel ignominiosae , qua jam condemnatus erat ; non quia se ipsum interimit , sed ex delicto , de quo jam convictus fuit , morte post judicis proununtiationem sequuta ; et haec eadem fere sententia est juris Romani in tit. ff. et Cod. : *De his , qui ante sent. mort. sibi consiver.* , quam probare videtur *Ordinatio Alphonsina* lib. 5. tit. 79. : *Do que se enforca , ou caae d'arvor , e morre.* In Anglia , et Gallia , ubi severiores sunt leges , hoc delictum frequentius est. Usura itidem , et ludus non modo vitium , verum etiam delictum proprio dicitur ; sed quibus poenis in foro puniendum , quae et delinquentes , et alios emendare queant , non satis inter Politicos constat : illud certum est , inutiles prorsus eas esse , quae ad hunc usque diem in omnium Nationum Codicibus statutae inveniuntur. Idem dicimus de *machiavelismo* sive politico , sive religioso ; quamvis enim , ut verbis jam relatis Ciceronis utamur lib. I. Off. §. XIII. , totius injustitiae nulla capitalior sit , quam eorum , qui , cum maxime fallunt , id agunt , ut viri boni esse videantur ; hoc cacoëthes legibus evelli non potest ; Machiavellistarum enim plena sunt omnia. Bene igitur ait Tacitus *Annal.* lib. III. §. LIII. : *Nescio si suasurus fuerim omittere potius praevalida , et adulta vitia , quam hoc adsequi , ut palam fieret , quibus flagitiis impares essemus* (§. VI. h. Tit.)

§. XXIV.

Quandoquidem poena sine delicto est, et hoc fit 1) quando judex contra propriam scientiam, et conscientiam, secundum tamen probationes judiciales, reum condemnat: 2) verioribus supervenientibus argumentis, quae falsas esse probatio-nes ex actis constantes demonstrant: 3) si appareat Poena si-ne deli-
poenam malignis delationibus, suggestionibus, vo-
cibus primum de crimine sparsis, quae fanaticorum in primis praecipuae nocendi artes sunt, vel
judicis demum imperitia, aut dolo inflictam fui-
se. Sine delicto puniri quandoque solent inno-
centes ob delictum universitatis, vel in tumultu,
et seditione deprehensi, praeveniendi periculi
caussa, ut Ulpianus loquitur in l. 6. §. 9. De
injust. rupt. Filii similiter perduellum infamia no-
tantur, et bonis paternis omnium fere Gentium
legibus sine crimine privantur: verum hoc ma-
lum non poenam vocant, sed *infortunium*, exis-
timantes cum Cicerone Epist. XII. ad Brut.:
Parentum scelera filiorum poenis lui, acerbum
quidem: sed hoc paeclare legibus comparatum es-
je, ut caritas liberorum amiciores parentes rei-
publicae redderet. (Vid. Tit. III. §. II. III. IV.
h. Lib.) Eadem ferme ratione Toletani Patres de-
creverunt, ut liberi ex impudicis Clericis nati
servituti illius Ecclesiae addicерentur, cui patres
praeessent, can. 3. Causs. XV. Quaest. VIII.
Quod vero filii liberi, vel servi sint ex condi-
tione matris; quod quisque incommoda Societa-
tis civilis toleret, cum multis commodis fruatur;
quod sub bono Principe, vel tyranno vivat, et
quod aliis malis, et miseriis prematur, poena
dicenda non est, sed publica calamitas, et in-
fortunium. Alia exempla dabit Boehmerus Exer-
cit. : *De poena sine criminе.*

§. XXV.

§. XXV.

Poena
quando
exaspe-
randa,
vel miti-
ganda.

Intenditur poena, et exacerbatur delicti gravitate; illius enim veluti mensura quaedam est. Ea autem a JCto in l. 16. §. 1. cum seq. De poen. aestimatur septem modis: *caussa*, *persona*, *loco*, *tempore*, *qualitate*, *quantitate*, et *eventu*: quae omnia bene explicat inter Criminalistas Antonius Matthaeus in Prolegom. cap. IV. n. 2. et ad tit. De poen. cap. IV. Mitigatur poena ob aetatem, sexum, dignitatem, et praesertim ob doli, vel culpae gradum, et ex aliis circumstantiis, quae delicti atrocitatem minuere videntur, et prius sunt considerandae. Verum haec ad Imperantes spectant, quorum est certas determinare poenas mitiores, vel graviores pro delicti qualitate; nam judices *legales* nec minuere possunt, nec augere. Illud dumtaxat eisdem concessum, ut *in legum interpretatione poenae mollienda sint potius, quam asperanda*, Hermogen. in l. 42. De poen., Grot. De jur. bell. ac pac. cap. XX. §. XXV. XXVI.

Aequalitas in poenis non ita nude spectanda, ut in ponderibus, et mensuris. Bene ergo ait Cicero Epist. XV. ad Brut. *Est poenae modus, sicut rerum reliquarum.* Quare mitius punienda delicta, quae per ignorantiam, quamvis culpa omni non carentem, aut per animi infirmitatem superabilem quidem, sed difficulter superabilem, committuntur. Et hae sunt inter alias caussae *intrinsecæ*, (ut cum Grotio loquatur De jur. bell. ac pac. lib. II. cap. XX. §. XXV. XXVI.) et excusantes, quae poenam legis minuere solent. *Extrinsicæ* habentur aut ex praeclaris delinquentis in Rempublicam meritis, aut ex magna spe meritorum in posterum, aut ex alia re comindante, aut ex numero reorum, veluti si plexorum multitudine civitas exhauriatur, aut magni tumultus in civitate excitentur: et hoc vel maxime referenda delicta universitatis, in quibus puniendis id agendum, ne remedium ipso malo sit gravius, et ne eadem sit

sit noxiōrum, et innocentum conditio; et ita omnia temperanda, ut metus ad omnes, poena ad paucos perveniat, Grot. lib. II. cap. XXI. §. VII. Schrodt System. Jur. Publ. P. II. cap. IV. §. X. Pufendorf. de jur. Nat. et Gent. lib. VIII. cap. III. §. XV. (Tit. XIX. §. III. Not.). Stoicorum dogma: *Omnia delicta esse paria*, Cic. Paradox. III. bene confutat Horatius lib. I. Satyr. III. 78. 79. 117. 118.

Cur non

*Ponderibus modulisque suis ratio utitur; ac res
Ut quaeque est, ita suppliciis delicta coeret?*

Adsit

*Regula, peccatis quae poenas irroget aequas:
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.*

§. XXVI.

Neque easdem jure Magistratus remittere, aut *vel re-commutare* possunt; namque solis Imperantibus mitten-
da. competit *aggratiandi* jus, non liberum quidem,
et absolutum, seu *ex plenitudine*, ut vocant, *potestatis*, quae supra leges nulla est, sed ob justas
tantum caussas eisdem legibus conformes. Apud
nos commutatio poenarum, et delicti venia in
Palatii Curia Regi consulitur, et ejus nomine litterae
expediuntur, Ord. lib. 1. tit. 3. §. 8., Regim.
Palat. §. 22. Decret. Joannis IV. 27. Maii
1645., Josephi I. 6. Jun. 1752. Excipiuntur cri-
mina atrociora, quae condonari non debent, re-
censita §. 18. et 19. cit. Regim. §. 10. 11. cit.
Ord. §. ult. Ord. lib. 5. tit. 52. tit. 53. in princ.
tit. 54. in fin. princ. Vide, sis, Portug. de do-
nat. lib. II. cap. 18. Phaeb. II. P. Arest. 186.
Cabed. I. P. Decif. 75.

Jus poenas infligendi, et poenarum gratiam faciendi,
solius Imperantis est; et haec eadem est Grotii, Pufen-
dorfi, et omnium juris naturalis, et civilis Scriptorum
sententia, quae tamen hodie publici omnino saporis non
est. Illud omnibus placet delicti veniam non nisi ob ma-
gnam, et publicam caussam esse concedendam; nam *ag-*

gra-



gratatio dispensationem quendam legis continet, quae;
quamdiu stat ratio, et justitia legis, iusta necessario est.
Videndi Filangieri *Scienza della Legislazione* tom. IV. cap.
LVI. LVII., opus inscriptum *De l'Etat naturel des Peuples*
P. II. Sect. II. Cap. IV. n. 1. Thomas. Dissert. *De jur.*
aggravat. Princip. circa poen. homicid., Mably lib. III. cap. IV.
pag. 291., *Pastoret des Loix penales* tom. I. P.I. cap. IV., et. In
Monarchia lex condemnare, Princeps autem delicta condonare
debet, et haec est sententia Montesquieu lib. VI. *Esprit*
des Loix cap. XXI., quem jure meritoque confutat Filangieri
cap. LVIII. Haec autem quaestio adeo difficilis visa fuit J.
J. Rousseau du *Contr. Social* Lib. II. cap. V., ut eam de-
cidere non sit ausus. Ego vero indiscriminatim existimo
aggravandi jus non modo tolerandum, verum etiam utile,
et necessarium esse in omni, et quacunque civitate, in
qua leges criminales plus justo severiores sunt, Paul. Risi
Animadvers. ad Criminal. Jurisprud. Dissert. : *De poenar.*
mensur. Pufendorf. cit. et de offic. hom. et civ. Lib. II.
cap. XIII. §. XV. (Tit. XXIII. §. III.)

§. XXVII.

Delicta
praeveni-
nienda.

Itaque delicta longe antevidenta sunt, et
potius praecavenda, quam justis poenis punienda:
delinquentes autem sine ulla remissione eisdem af-
ficiendi, non quia deliquerunt, sed ne in posterum
ipsi, aut ceteri delinquere audeant: et sic delicta
praeveniuntur (XIII. h. Tit.). Iis praeveniendis
quae media adhiberi debeant, et quae leges eco-
nomiae, et politicae nobilissimo huic fini con-
sequendo salubriores esse videantur, ad prudenti-
am spectat legislatoriam, nec nostrum est defini-
nire. Plura inter alios habent Filangieri cit. cap.
LIX. Mably tom. IX. lib. III. cap. III. IV., Au-
tor *De l'Etat naturel des Peuples* tom. III. P.
III. Sect. II. cap. I. cum seq. *Blackstone sur les*
Loix Angloises tom. VI. cap. XVIII. Renazzi
Elem. Jur. Criminal. lib. II. cap. XIV. Briffot
Discurs. : *Moyens de prevenir les crimes* tom.
VI. Biblioth. Philosoph.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Hoc autem nostrum quantivis pretii opus sequentibus juris criminalis axiomatibus veluti innititur, quae nemo, cui sinciput caput est, in dubium poterit revocare.

Axioma-
ta crimi-
nalia.

1 Satius est impunitum relinqu facinus nocentis, quam innocentem condemnare; adeoque majus detrimentum capit respublica, si quisquam innocens damnetur, quam si nocens absolvatur.

2 Reus ante sententiam condemnatoriam pro innocentie habendus.

3 Probatio non nisi plena, et perfecta in foro criminali admittenda,

4 Quo majus, et gravius est delictum, eo maiore indiget probatione.

5 Poena major, vel minor pro delicti quantitate, gravitate, delinquentisque malitia omnino infligenda.

6 Delictum nullum est sine certa delinquendi voluntate.

7 Illius mensura est malum societati illatum.

8 In suppliciis sumendis publicae tantum utilitatis ratio habenda.

9 Suppicia non tam ad punienda, quam ad crimina praecavenda sunt inventa.

10 Iis veri dumtaxat delinquentes, vel quasi sunt afficiendi.

11 Justa est poena, quae nocentem, ne iterum noceat, impedит.

12 Contra vero injusta, quae vel inutilis est, vel crudelis.

13 Atrocitas poenarum delicti impunitatem parit, et indulgentiam; qua nihil est saluti publicae exitialius, *Pastoret des loix penales* tom. I. cap. II. Plura alia habet *Filangier*; tom. IV. P.II. cap. XXV. Tom. V.

D

§. XXIX.

§. XXIX.

**Ordinationes
per non
usum ab-
rogatae.**

Et hinc consequitur, ut leges criminales plus justo severiores ipsorum Imperantium voluntate, et conniventia quadam, cum illarum non urgeant executionem, aut per non usum abrogatae videantur. Et tales apud nos sunt Ord. lib. 5. tit. 3. 13. 14. 15. 17. 19. 25. 26. 32. 36. 38. 60. in princ. 66. §. 7. et 10. 69. 70. 79. 80. 82. 86. §. 5. 90. 92. 93. 94. 100. 101. 109. 123. 134., et plures aliae, de quibus suis locis; quae quidem, ad poenas quod attinet, injustae sunt, et atroces, ne dicam crudeles, vix enim debitam servant proportionem. Neque profecto veremur audacter fidenterque dicere quod sentimus, regnante Maria I., et Joanne, Brasiliae Principe, summam rerum tenente. Itaque nostra facimus verba Auctoris *Don Manuel de Lardizabal y Uribe*, *Discurso sobre las penas contrabido a las leyes criminales de España* a nobis supra transcripta Not. ad §. XVII., quae non magis Catholicis Regibus Carolo III. et IV., quam nostris Fidelissimis, longeque clementissimis convenient. Dominantur enim non tamquam tyranni, et domini, sed tamquam si forent patres, et matres subjectorum. Bene, et ad rem Plato de legib. Dial. IX. ait: *Sic igitur leges civitatibus conscribantur, ut patris, matrisque personam lator legum penitus gerat: scriptaque caritatis, prudentiaeque virtutem habeant potius, quam domini, tyrannique imperium minitantis tantum, et describentis, rationem vero nullam penitus assignantis.*

Cum leges debeant coelo, genio, moribusque populorum; et temporibus, quibus feruntur, applicari; facile oimnes vident mutabiles esse leges temporibus ipsis accommodatas, quae scilicet vel temporum rationes, vel praejudicia, vul-

gi-

gique opiniones pro fundamento habuere. Quis enim hodie non irridebit, quae de veneficiis, incantationibus, philistris, et praedictione rerum futuratum scripta leguntur Ord. lib. 5. tit. 3? Et quis iudex tam severus, ne dicam stultus, capitis mulierculam damnabit propterea quod e loco facro, vel profano petram aera abstulit ad veneficia conscienda? Et tamen haec poena praefata Ordinatione statuta est. Et quis etiam sodomitas, molles, lenones, adulteros poenis capitalibus, vivicomburii, confiscationis, infamiae liberorum, ceteris cit. tit. 13. 25. 32. statutis condemnare audebit? Eadem Ordinatione tit. 38. permisum est viro uxorem suam, et adulterum plebeium impune occidere, secus nobilem: quae differentia tam inepta est, ut nihil supra: et permisum quoque, si forte formidolosus sit, satellites sibi adjungere, et exsecutionem vindictae aliis mandare, quod in bene constituta civitate nequaquam tolerandum; namque ideo magistratus, legesque accepimus, ne sui quisque doloris vindex sit, Quintil. Declamat. XIII. Et quis denique eum, qui unius argenti bestiem, vel illius valorem imprudenter furatus est, laqueo plectendum censebit, ut simili poena statuta inveniatur Ord. tit. 60? Non enim in perpetuum valere potest lex, cui aut bellum, aut frequentes hostium, vel civium incursiones caussam dede- runt. Servo, qui dominum occidit, manus in vita amputari, et illius membra carenti forcipe evelli jubentur Ord. lib. 5. tit. 41. Eadem Ordinatione manus servo abscinduntur, qui ensem in dominum explicavit, quamvis illum vulnere nec levissimo afficiat. Manus similiter amputantur ei, qui in facie quemque percussit, eique, qui, cum publico carcere detineretur, eodem inclusu vulnus qualemcumque inflixit, Ord. lib. 5. tit. 35. §. 6. et 7. Eadem poena afficiendus, qui, nullo, vel levissimo vulnere inflicto, ad aliquem fauciendum arma arripuit, non jam Rege adstante, vel in illius aula, sed eo in loco, et civitate, ubi Rex fuerit, vel Domus Supplicationis, Ord. lib. 5. tit. 39. §. 1. et 2. Ordinatio lib. 5. tit. 134. et concordantes, quae de tormentis loquuntur, in vigore hodie non sunt, et usu tantum, non lege speciali abrogatae. Et haec tantum hic adnotare sufficiat; cetera ex dicendis apparebunt. Bene Valerius apud Livium XXXIV. 6.: *Ego quemadmodum ex his legibus, quae non in tempus aliquod, sed perpetuae utilitatis causa in eternum latae sunt, nullam abrogari debere fato, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis Reipublicae inutiliter fecit; sic quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales (ut ita dicam), et temporibus ipsis mutabiles esse video. Quae in pace latae sunt, plerumque*

*bellum abrogat, quae in bello pax: ut in navis administratio-
ne alia in secundam, alia in adversam tempestatem usui sui sunt.*
*Bene etiam Auctor citati operis inscripti: Discurso sobre las
penas contrahido a las Leyes criminales de España pag. 71.
ait: Es verdad que nuestros legisladores claman contra el no
uso de las leyes, declarando, que todas las leyes del Reyno,
que expresamente no se hallan derogadas por otras posteriores,
se deben observar literalmente, sin que pueda admitirse la excusa de decir que no están en uso. Pero a pesar de tan expresa voluntad repetidas veces declarada por los Soberanos, la experiencia nos hace ver prácticamente, que son muchísimas las leyes penales, que sin haber sido derogadas por otras, están interamente sin uso alguno, dando lugar por este motivo al arbitrio de los jueces, y lo que es peor, sin que estos le tengan para dexarlo de hacer así. No habrá hoy por ejemplo un juez que se atreva a mandar cortar a lengua al blasfemo, y la mano al escribano falso, sin embargo de que estas son las penas impuestas a estos delitos por leyes que no están expresamente derogadas por otras; y si hubiera alguno, que quisiera resucitar estas leyes, creo seguramente, que los tribunales superiores revocarían la sentencia, y el juez que la dio pasaría en el concepto del público por cruel y temerario. Hallarse pues los jueces y tribunales por defecto de la legislación en la fatal necesidad y dura alternativa de sufrir la nota de inhumanos, ó de no observar las leyes, que han jurado cumplir. Videatur Josephi I. Diploma 12. Maii 1769. in praefat.*

TITULUS II.

De delictis ecclesiasticis, et poenis.

§. I.

*Delicta ecclesiastica publica di-
cuntur.*

Intra publica delicta, quae publicam rem, et securitatem laedunt, et quae propterea a privato quocumque accusari possunt (Tit. I. §. II.), maxime veniunt ecclesiastica, seu religiosa, de quibus ante omnia agendum est. Haec enim delicta et ecclesiasticis, et civilibus poenis coerceri debent, quippe quia non minus Ecclesiae, quam Reipublicae, quae sine ulla Religione vera, aut falsa intelligi vix potest, sunt exitiosa.

De

De delictis in Deum videatur omnino divinus paene
Platonis Dialogus X. *De legibus*, qui suspectus est ne-
mini.

§. II.

Ecclesiastica delicta generaliter vocantur, ^{Et qualia}
quaecumque in Deum committuntur; quae Reli-
gioni in civitate receptae adversantur, et quae de-
mum bonis moribus, legibus divinis, aut natu-
ralibus, imo et civilibus repugnant. Hoc sensu
omnia delicta appellari possunt *ecclesiastica*, et
in foro quidem conscientiae Ecclesiae coercitio-
ni, poenitentiis, censuris, et canonicis poenis
funt subjecta. Proprie autem hoc nomine vocan-
tur, quae Deum speciatim offendunt, vel Reli-
gionem in civitate dominantem, qualia funt Chris-
tianae Religionis in totum, vel pro parte *de-
sertiones*, *blasphemia*, *perjurium*, *sacrilegium*.

Separanda hic peccata a delictis, ut jam supra monui-
mus Tit. I. §. VI.; nam delicti ecclesiastici appellatio-
nibus tantum maleficiis tribuenda, quae quis adversus pu-
blicam Religionem, et Ecclesiae bonum commisit. Et haec
quidem delicta, et peccata jure suo punire potest Eccle-
sia privatione honorum, et iurium, quies fideles, ut membra Ec-
clesiae Christianae, alias sunt instructi, Trid. Seff. XIII. cap. I.
De reformat. Separanda etiam hic est jurisdictio Ecclesiae pro-
pria jure divino concessa ab *impropria*, quam eidem Prin-
cipes in caussis criminalibus Clericorum, vel Laicorum, in
iis etiam, quae salutem civilem, et civile forum spe-
ctant, concessere, quae utique ab eadem abesse potest,
et nomine Principis exercetur, Fleury Inst. Jur. Eccles.
P. III. cap. XIV. §. I.

§. III.

Jure igitur suo Ecclesia statuere tantum po- Poenas
test poenas canonicas, *spiritales*, et *medicina- canoni-
cas* jure
les; eisque contumacibus omnium, vel quorum-
dam bonorum spiritualium usus aufertur, donec
terminat Ecclesia.
a con-

a contumacia resipiscant; temporales enim a potestate civili, non ecclesiastica proficiscuntur. Poenitentias similiter tam publicas, quam privatas jure suo statuit Ecclesia; eas tamen adimplere, quamdiu in usu fuerunt, externis, et violentis modis adigebatur nemo, Van-Esp. Jur. Eccles. P. III. tit. II. cap. II., et in tract. De censur. cap. X. Rieg. Jurisprud. Eccles. P. IV. a §. DXLIV. Eybel Introd. Jur. Eccles. Catholic. lib. III. cap. II. III. et IV.

§. IV.

*Haeresis
est cri-
men.*

Haeresis, hoc est, pertinax defensio dogmatis Ecclesiae universalis iudicio condemnati, symbolique catholicae fidei contrarii, can. 26. et 27. Causs. XXIV. Quaest. III., crimen est gravissimum tam ecclesiasticum, quam civile, et ab ecclesiastica aequa ac temporali potestate propriis utriusque poenis jure suo puniendum.

Haeresim esse crimen negant Henricus Coccejus speciali Disputatione: *De jure circa haereticos*, Thomasius in Problem. jurid. *An haeresis sit crimen*, cet.: quia delictum per actum tantum voluntatis, et cum dolo, vel culpa committitur; non per actum intellectus, et sine dolo. Porro haec ad haeresim materialem tantum pertinent, quae ex errore involuntario ortum habet, non ad formalem, in libera, voluntaria, et pertinaci dogmatis damnati defensione consistentem: haec enim contumacia ad actum voluntatis refertur. Est igitur haeresis crimen publicum ecclesiasticum, quia totius Ecclesiae interest, ut Religionis divinae veritas intacta, inviolataque perseveret, et publicum civile, quia quisquis religionem publicam offendit, aut contemnit, fortissima civitatis vincula convellere videtur, Cic. *De nat. Deor.* lib. I. §. II. Et quamvis nec canonica, nec civilis poena voluntatem errantis inflectere queant, et ad verum revocare; tamen, ut recte infligi possint, satis est, ut id efficiant, ne errores similes in posterum quis spargere audeat.

§. V.

§. V.

Pro haereticis ergo in foro civili habendi non ^{Haereti-}
 sunt, 1) infideles, cum sint extra Ecclesiam, cap. ^{ci qui.}
 13. De haeret. in VI. : 2) qui in *adiaphoros*,
 et *disciplinaribus* aliter, quam bene multi Theolo-
 logi, et Canonistae sentiunt, l. 3. Cod. De pa-
 gan. l. 2. §. 1. Cod. De haeret. : 3) suspecti de
 fide, nisi gravissima, et violenta suspicione labo-
 rent, quae eosdem jure plene convincat. Nam
 quod *sola suspicione notabiles, nisi ad mandatum*
Ecclesiae juxta considerationem suspicionis, qua-
litatemque personae, propriam innocentiam con-
grua purgatione monstraverint, tamquam infa-
mnes et banniti ab omnibus habeantur, Auth. Ga-
 zaros §. 1. Cod. De haeret., cap. 13. §. 2. &c eod.:
 id nimis durum est, ne dicam crudele, et nihil
 aliud, quam *peffimum viros etiam optimos, et*
maxime orthodoxos opprimendi, et impune ca-
lumniandi inventum, quae Rieger verba sunt Ju-
 risprud. Eccles. P. IV. §. CCXCII. : 4) qui sen-
 tentiam suam quamvis falsam, et perversam nul-
 la pertinaci animositate defendunt, can. 29. Caus.
 XXIV. Quaest. III. ; sed *ii tantum, qui correpti*
resistunt contumaciter, suaque pestifera, et morti-
fera dogmata emendare nolunt, can. 31. ead. Caus.
 et Quaest. Et *ii denique, 5) qui divinum Numen, et*
receptam religionem qua cives, non qua homines
offendunt: qua distinctione utitur, eamque be-
 ne et sapienter explicat, prout Christianum Scrip-
 torem decet, et foro externo accommodat *Filan-*
gieri tom. IV. cap. XLIV. et XLV.

§. VI.

§. VI.

*Quaestio
juris ad
Eccle-
siam spe-
ctat, fa-
ci non
item.*

Quaestio *juris*, hoc est, an dogma, quod reus profitetur, haereticum sit, nec ne, ad Ecclesiam tantum spectat: *fæcili* non item. Quare si dubitetur, an reus dogmati jam ab Ecclesia profalso declarato adhaereat, quaestio haec bene potest in saeculari judicio tractari, Rieger Jurisprud. Eccles. P. IV. §: CCXCVI., Ord. lib. 5. tit. 1. §. ult. ibi: *Porque a Igreja não tem aqui que conhecer, se erra na fe, ou não.* (Inst. Jur. Public. Tit. V. §. V.)

§. VII.

*Poenae
canoni-
cae in
haereti-
cos.*

Poenae canonicae, quibus Ecclesia jure suo in haereticos utitur, sunt 1) *excommunicatio major* ipso jure lata, et Papae reservata ex constitutione Gregorii XIII., quae incipit: *Officii nostri ann. 1576.*: 2) *privatio sepulturae ecclesiasticae*, cap. 2. De haeret. in VI.: 3) *irregularitas* ad ordines suscipiendos, cap. 2. §. 2. cap. 15. eod.: 4) *inabilitas* ad dignitates, beneficia, et officia ecclesiastica, cap. cit.: 5) *privatio dignitatum*, beneficiorum, et officiorum legitime jam obtentorum ante lapsum in haeresim, cap. 12. eod.: et denique 6) *poenae omnes*, quas *medicinales* vocamus.

§. VIII.

*Funda-
mentum
potesta-
tis civi-
lis in
haereti-
cos.*

Quia vero haeresis delictum civile est (§. I.), ex quo turbae, et seditiones in civitate plerumque sequuntur (§. IV.): nemo non videt Imperanti jus esse et haereticos puniendi poenis civilibus, et praecavendi ne securitas publica per Religionem

ligionis diffidia turbetur, Van-Esp. Jur. Eccles. P. III. tit. IV. cap. II. n. 38. et 39. Martini Posit. Jur. Nat. cap. VIII. (Inst. Jur. Publ. Tit. V. §. IV. et V.)

Necessitatem religionis in Societate agnoverunt, quicunque leges hominibus dederunt. Itaque sistema Petri Baylii, recentiorum omnium liberi ingenii viorum facile principis, qui multis in locis contendit ex atheismo nihil danni Societati obventurum, adeoque subsistere posse Societatem, quamvis nulla in eadem profiteatur religio, factum est: nullumque eo impius effungi potest paradoxon, et periculosius. Idem de Deistarum, et Naturalistarum, ut vocant, systematibus dicendum: opponuntur enim directe Societatis constitutioni, et durationi. Rem diligenter inter alios pertractavit Pufendorfius, auctor non inquisis ipsis liberis ingenii viris, lib. I. Cap. IV. §. IX. De offic. hom. et civ.

§. IX.

Civiles autem poenae multo quidem severiores jure communi in haereticos inveniuntur statuae, quales sunt, 1) infamia, quae ad liberos, et nepotes producitur: 2) exsilium perpetuum: 3) relegatio ad tempus: 4) damnatio ad tritemes, opusve publicum: 5) flagellatio publica per vicos, et plateas: 6) confiscatio omnium bonorum, liberis etiam extantibus; et tandem 7) mors naturalis crudelis, cet., quae habentur Theodosiano, et Justinianeo Codice, et Decretalibus tit. De haeret. lib. V., et VI. eod., et Caus. VI. Quaest. I. can. 17.: quas poenas omnium fere gentium Codices hodie etiam dum admittunt.

Severitas haec poenatum ex severitate legum civilium in crimine laesae majestatis humanae deducenda est: adeoque haeresis crimen, cum divinam Majestatem laedat, eiusdem prorsus poenis subjiciendum, quinimmo et majoribus, si per rerum naturam fieri possit, puniendum esse videbatur: duo enim haec crimina inter se comparantur Ordinatione Alfonstina lib. 2. tit. 54. in rubrica ibi: *Dos beens, que pertencem a El Rey per caso de hereysa, ou treigrem, quae lib. 5. immediate subjiciuntur, et hunc ordinem Tom. V.*

posteriores Codices sequuti fuere. Haec tamen severitas, ut bene ait Fleury Inst. Jur. Eccles. P. III. cap. X. §. V., inutilis est reprimendis nascientibus haereticis: sed si omnis tempore, atque omni loco ad praescriptum legum stricte adhibetur, sacra nostra exosa reddat: efficitque, ut justitiae obtentu maxima mala patrentur. Accedit, quod poena capitalis non tam ad puniendos, quam ad terrendos haereticos spectabat, prout Sozomenus testatur Histor. Eccles. lib. VII. cap. XII., et adversus praeleritum Manichaeos, et similes dirigebatur, quos ad iam usque seculorum nequitios pervenisse testes sunt Theodosius, et Valentinianus in l. 65. Cod. Theod. de haeret. Ceterum comparatio cum laetiae humanae maiestatis criminis parvi facienda videtur, non solum quia maiestatis criminales posteriores leges plus justo severiores sunt, sed etiam quia vera Religio, id est, Christiana ad finem usque mundi, obnitentibus licet Principibus saeculi, perleveratura est, nec adversus eam portae inferi possunt praevalere. Deinde quamvis infinito magis delinquent, qui Deum, quam qui Regem offendunt; tamen hominum non est divinas offensas ulcisci, nec eis condigne puniendis gravissimae temporales omnes poenae sufficiunt. Quo sensu verum omnino est effatum Taciti Annal. I. 73.: *Deorum injurias Diis curae.* Principe Fundamental du Droit des Souverains Genev. 1788. tom. II. pag. 141^e cum sequent. Berard. tom. IV. Dissert. II. cap. II. pag. 68. Renazzi lib. I. cap. XV. §. III.

§. X.

Et Pa-
trio.

Ad jus nostrum quod attinet: haeretici antiquis Regni legibus Extravagantibus, et Regiis Ordinationibus tribus publicis Codicibus contentis, si earum litteram, mentemque inspiciamus, capite plectendi non erant. Poena tamen vivicomburii eosdem affecit Josephus I. Novellis 12. Junii 1769. 25. Maii, 15. Decembr. 1773., quae non de simpliciter haereticis, ut loquuntur, sed qualificatis, id est, seditiosis, qui factionibus suis, scriptis, dictis, et factis Religionem aequa ac Rempublicam convellere audent, intelligendae videntur. Eisdem Novellis poena confiscationis bonorum, et infamiae in-

fi-

filios , et nepotes eorum , qui ultimo tantum supplicio sunt affecti , statuta est , et ita conciliata capita 15. et 16. *De haeret. in VI.*, quae inter se quodammodo pugnare videbantur.

De haereticorum poenis haec in summa jure nostro constituta sunt. Et primum , quod ad poenam confiscationis pertinet , Alphonsi II. speciali Ordinatione . Alphonsino Codice relata lib. 2. tit. §4. illorum bona eo tantum casu sunt publicanda , quo ipsi fuerint judicis sententia condemnati . Joannis I. speciali etiam Ordinatione Eboreae data 3. Januar. aer. 1454. apud eund. Cod. lib. 5. tit. 1. §. 4. haereticorum bona fisci lucro praecise non cedunt , quamvis Regis arbitrio relinquuntur , ibi : *De seu bens se façā como mandarmos , e nostra merce fer.* Emmanuelino autem Codice lib. 5. tit. 2. §. 1. et Philippino eod. tit. 1. in princ. confiscatio expresse decernitur in praējudicium liberorum . Poena capitalis , et infamiae , qua haereticorum filii , et nepotes dicuntur notati , citatis Ordinationibus specialis nulla mentio fit ; generaliter tamen iidem condemnari jubentur poenis a jure communi flatutis , vel prout jure facere debent Ord. cit. in princ. : *Punindo os hereges condemnados como por Dircito devem.* Eisdem Ordinationibus Judices Ecclesiastici tenentur sententias suas ad Saeculares mittere , quas exsecutioni , vilo prius processu , mandare debent , si juri fuerint conformes , Ord. Alph. cit. §. 5. ibi : *Vejaõ os ditos processos , e sentenças , e as cumprações , e execuções offy como acharem per drecto.* Posterioribus Codicibus sententia sine processu remittitur , et tamen illius exsecutio , et rerum condemnatio decernitur , quod contrarium est non modo antiquis legibus , et consuetudinibus cit. Alph. Ord. allegatis , verum etiam ab omni jure , et ratione proflus alienum , quibus repugnat quemque alterius fide condemnare , (Inst. Jur. Publ. Tit. V. §. V. Not.). Jam vero ex hoc mystico Regiarum Ordinationum silentio , et politica ad *jus commune* , vel *indefinitum* remissione in re adeo gravi , et quae clarius , et dilucidius omnino explicanda erat , cui certe caussam dedit insuperabilis his temporibus Decretalium auctoritas , quot , et quanta dissidia , et contentiones Regios inter Magistratus , et Ecclesiasticos , et quae strages , carnificinae , crudelitates sequutae fuerunt , pudet referre. Quod profecto mirandum non est , cum videamus , regnante Josepho I. , felicis recordationis Principe , suorum jurium maximo assertore ac vindice , ingenti cum apparatu Diplemate 15.

Decembr. 1773. conciliatum caput 15. cum capite 16. De haeret. in VI., quasi necessarium foret ad civiles poenas haereticis infligendas, vel inflictas jam declarandas Summorum Pontificum placitum! Praeterea haereticis interdicta est testamenti factio tam *activa* Ord. lib. 4. tit. 81. §. 4., quam *passiva* tit. 88. §. 17. tit. 99. §. 7. eod. Post sunt a quocumque hoc de criminis accusari, Ord. lib. 5. tit. 117., et a judice quocumque comprehendi, Ord. lib. 1. tit. 7. §. 8.

§. XI.

Et legibus Inquisitionis.

Specialibus Inquisitionis legibus hae poenae, et si quid amplius in haereticos sunt constitutae; quas tamen multum remisit nostri saeculi humanitas: et ita effectum est, ut Inquisitio omnibus ferme olim exosa, hodie justis limitibus circumscripta jam sit nemini, quinimmo utilis, et necessaria sive ad puniendos, sive ad terrendos haereticos novatores difficillimis, quibus vivimus, temporibus, esse videatur.

Inquisitione in Lusitania ad Joannis III. preces a Paulo III. tandem creata Bulla ad Conimbricensem, Lamaensem, et Septensem Episcopos data 23. Mart. ann. 1536. apud Sof. tom. II. Probat. N. CXX. pag. 713., Henricus Cardinalis Infans, ab eodem Supremus fidei Quaesitor nominatus, primum Sancti Officii Inquisitioni Regimen reddit Calend. Mart. ann. 1570., a Sebastiano Rege approbatum 15. ejusdem mensis et anni. Sequutum postea fuit Regimen Petri Castilii, typis datum ann. 1643., Francisci Castri ann. 1640.; et demum Cardinalis Cugnae, a Josepho I. in forma specifica confirmatum Calend. Septembr. 1774.: quae omnia pro fundamento potissimum habent Bonifacii VIII. Epistolas Decretales in tit. *De haeret.* in VI., et Decretalistarum opiniones, qui easdem longius fortasse quam par est, latiusque amplificarunt. Fuit igitur Quaesitoribus fidei litteris Apostolicis concessa potestas de haeresis crimen una cum Ordinario loci, cuius judicium in illius decisione semper exquiritur, judicandi. Episcopis autem tamquam Inquisitoribus natis semper salvum manet judicium, et jurisdictio in haereticos *ad modum Ecclesiae*, id est, in foro interno, et poenitentiali, in eosque animadvertisendi poenis, et poenitentiis spiritualibus, et canonicis, ceteris, quae ad essentiam Episcopatus pertinent, a qua scilicet vel

vel alienum, vel extraneum est forum externum judiciale criminale, quod Inquisitoribus tantum, Judicibus aliis sive Ecclesiasticis, sive Saecularibus exclusis, fuit concessum Ordinatione lib. 2. tit. 6., deducta ex Joannis III. Extravag. 20. Novembr. 1536. apud Leon. 2. p. tit. 2. l. 12. Novell. 20. Maii, 12. Jun. 1769. Itaque Sandi Officii Suprema Curia et Ecclesiastica est, et Regia ex dictis Novellis. Quae vero de illius iustitia dicuntur, quod scilicet processus ordo informis sit, et arbitrarius, quod reo necessaria de-
negetur defensio, quod probationes semiplena, et testes singulares ad condemnandum sufficient, cetera, quae a piis etiam, orthodoxique Scriptoribus, veluti *Fleury*, *Barthelio*, *Rieger*, et aliis objici solent, aliter se habent. Nam ordo judicarius idem prorsus est, quem in caussis criminalibus Regiae Ordinationes praescribunt, et in foro saeculari servatur. Defensio reo plenissima conceditur, et libera patronum quemcumque eligendi facultas, quocum seorsum colloqui potest, quando, et quotiescumque opus fuerit. Accusationis totius series, tempus, et locus deli-
cti, et testium nomina eidem bona fide exhibentur, nec prohibetur eosdem refutare. Testes singulares, omni licet exceptione maiores, plenam numquam fidem faciunt. In-
famia non ex omni delicto, sed ex eo solum resultat, cui poena capitalis fuit inficta. Suggestiones qualecumque pro-
cul hinc abesse jubentur. Testes falsi gravius hic, quam alibi puniuntur; et omnia denique hodie ex bono et ae-
quo fiunt. Quaecumque autem a majoribus nostris inhumani-
tate gesta sunt, nos neque probamus, neque defendimus;
quidquid tamen ab eis peccatum, indiscreto Religionis ze-
lo, et vel eorum, vel temporum ignorantia peccatum est.
Speramus in dies meliora, quae Deus bene veritat, Rieger
Jurisprud. Eccles. P. IV. §. CCCXXVIII. *Mably* tom. IX.
De la Legislation lib. IV. cap. IV.

§. XII.

Qui publicam Religionem in civitate domi- Contem-
nantem contemnunt, vel derident, vel cultu alio ptus Re-
externo, aliisque ritibus, quam quos Ecclesia Ca-
tholica statuit, Deum colunt, religiosum, et civile punien-
crimen committunt. Illius autem poena, cum spe-
ciatim nostris Codicibus non inveniatur definita,
arbitrio judicis relinquenda, ab eoque crimen hoc
mulcta pecuniaria, vel carcere pro contemptus
qua-

qualitate , et circumstantiarum punienda. Videnda omnino : *Analyse da Profissão de Fé do Santo Padre Pio IV.* por Antonio Pereira de Figueiredo , Art. IV. pag. 34.

Quod in Platonis , et Decemviralibus legibus dicitur : *Ad Divos castic adeunto pietatem adhibento opes amovento . Qui fecus fecit , Deus ipse vindex erit : non omnino verum est ; namque Religionis receptae publicus contemptus , et cultus externi disparitas , delictum publicum est et in Deum , et in Rempublicam , cuius judicium , et auctoritatem reus nihil paene facit , ei quippe elato animo judicium suum privatum anteponit , Blackstone sur les loix Angloises tom. V. lib. IV. cap. IV. pag. 386. Filangieri tom. IV. cap. XLV.*

§. XIII.

Fanaticus , et hypocrites . His fere conjungendi fanatici , superstitiosi , et ut verbo dicam , *hypocritae* , qui externam pietatem tristitia quadam vultus simulantes , et de interna nihil curantes , nihil aliud , quam vanam gloriam , et propriam utilitatem quaerunt , veram Religionem cum fanatismo perpetuo confundentes , divina omnia et humana permiscentes , et in proprium vertentes commodum , *Egoistae* omnium maximi , et perniciossissimi , sed impune tolerandi vel ob saeculi , quo vivimus , corruptionem , vel ob delicti difficultem probationem , *Martini Post. De leg. Natur.* tom. I. a §. 316. *Filangieri* cit. et tom. I. *Introduzione* pag. 6.

Huc pertinent non tam veri *Jacobei* Regiae Censoriae Curiae , et Sancti Officii Consilii Generalis Edictis 10. Mart. et 15. Jul. ann. 1769. condemnati , hi enim ab haereticis vix distinguendi , quam malignum illud genus hominum , qui sub praetextu praeferim religionis alios criminalantur , perpetuum , et occultum bellum bonis civibus , de Ecclesia alias , et Republica optime meritis , inferentes : qui tamen in tanta hominum corruptione tamdiu impune in Republica tolerari debent , quandiu illorum fraudes , et captiones occultae fuerint , inutiles , effectuque destitu-

JURIS CRIMINALIS LUSITANI. 2 39

tutae; eo autem sequuto, graviter pro damni dati, et malitiae gradu puniendi, *Filangieri* cit., opus inscriptum *De l'Etat naturel des Peuples* tom. II. P. II. Sec. II. N. I. Cap. VII. et VIII. (Tit. I. §. VI. in Not. et XXI.). Punendi similiter superstitionis homines, veluti magici, benefici, incantatores, non quia superstitionis sunt, hac enim ratione potius deridendi videntur; sed propter damnum, quod ex caussis naturalibus, quibus usi sunt, non suis incantationibus dederunt, *Eybel* lib. III. De potest. Eccles. exsequent. Cap. II. §. 475. (§. XXIV. Tit. I.)

§. XIV.

Apostasia, quam perfidiam vocant, cuius nomine hic intelligimus Christianae Religionis in totum desertionem, eisdem, quibus haeresis, poenis coercetur, cap. 13. De haeret. in VI. De apostatis Rex tantum cognoscit, facti enim haec quaestio est, Ord. lib. 5. tit. 1. §. 4. Emm. tit. 2. §. ult. eod., deducta ex cap. 1. et 2. Concordiae sub Joanne I. apud Perer. tom. I. pag. 383. (Inst. Jur. Publ. Tit. V. §. VI.)

§. XV.

Idem ferme de schismaticis dicendum: quamvis enim schismaticos non fides diversa faciat, sed communionis disrupta societas ex mente Augustini lib. un. quaest. XVII. in Matth. quaest. XI. §. 2. 5.; tamen cum schismata haeresim jam sibi coniunctam habeat, vel in eam saltim possit degenerare, et vix ab ea uno gradu distet, can. 26. Caus. XXIV. Quaest. III., schismatici jure canonico paene pro haereticis habentur. Illorum autem leges nostrae mentionem nullam specialem faciunt.

§. XVI.

Blasphemia, id est, dictum, vel factum in ^{Blasphemia.} Dei

Dei contumeliam, beatae Mariae Virginis, Sanctorumve, gravius, vel remissius pro illius atrocitate legibus nostris punitur. Nobiles mulcta, et exilio in Africam plectuntur; plebeii pecunia quoque multantur, et triginta flagellationibus, fune ad collum alligato, publicis datis praeconiis ad columnam civitatis (*pelourinho*), afficiuntur, Ord. lib. 5. tit. 2. in princ. Emm. 34. Alph. 99. Qui funesta alicui, aut diras imprecantur, non sunt blasphemi, nec ullis poenis afficiendi in civili foro; nam voluntas nocendi sine effectu peccatum est, non delictum.

Non una blasphemiae species est; alia enim *mera* dicitur, alia *haereticalis*, *simplex* alia, vel *atrox*: adeoque non eodem modo semper punienda. Distinguendum autem prius erat, et dilucidius explicandum vocabulum *blasphemia*, quod nimis vagum est, et postea debitis poenis coercendum. Jure nostro blasphemi capite non puniuntur, sed mulcta, exilio, et poena vili pro delinquentium qualitate, et conditione, quam in poenis infligendis Patriae leges ubique observant. Haec tamen differentia Beccariae Tract. *Dei delitti, e delle pene* §. XXI., et aliis bene multis hodie displicet, existimantibus delinquentes omnes nobiles pariter ac ignobiles eisdem et aequalibus poenis esse subjiciendos. Ego vero existimo in definienda poena rationem omnino habendam esse personae delinquentis: majorem enim poenam meretur is, quem cognatio, officium, aetas a delicto revocare debuisset, quam extraneus, stupidus, puer, vel adolescentis; majorem Theologus, quam sacrarum rerum rudis; nobilis, et in dignitate eminentiori constitutus, quam plebis e faece homo: itaque gravius hi puniendi, sed non eadem poena pro eodem delicto; nam vilis nobili aequa ac ignobili inficta aequalis non est, nec ullam habet proportionem. Ergo quemadmodum inter delinquentes illorum conditio consideranda, ita inter poenas pro ipsorum qualitate facienda differentia est, non quod mitius puniri debeant, sed quod non omnes eadem numero poena, quae saepe nec delicto, nec personae respondet, nec publicae demum securitati, quae finis poenarum est, Pufendorf. de offic. hom. et civ. lib. II. cap. XIII. §. XVIII. Montesquieu *Esprit des Loix* lib. II. cap. IV. Renazzi Elem. Jur. Crimin. lib. II. cap. IV. §. XV. De poenis in blasphemos plura habent Berardus tom. IV. P. I. Dissert. II. cap.

cap. III. Sam. Frideric. Boehmerus Elem. Jurispr. Crim. Sect. II. Cap. II. *Filangieri* Lib. III. P. II. Cap. XX., quae, prout blasphemia *simplex*, vel *atrox* fuerit, a judice augeri possunt, et exacerbari, Ord. cit. lib. 5. tit. 2. §. 2. Poena *vivicomburii*, et linguae abscissionis crudelis est, et injusta; neque Deo, qui vere injuriam haud patitur, nec ultione opus habet humana, grata esse potest ejusmodi hostia, et membrorum humanorum mutilatio. Hanc tamen poenam blasphemis minatur Dionysius lege 7. Junii aer. 1353.; quae postea jure meritoque fuit remissa.

§. XVII.

Perjurium, hoc est, *jurisjurandi violatio* Perju-
dolo, culpave admissa, blasphemiae quaedam spe-
cies est, Cic. Offic. III. §. XXIX., et delictum
grave in Deum pariter, et homines. rium
quid.

§. XVIII.

Perjurus autem censendus et qui falsum scien- Et quis
ter, et deliberato alterum circumveniendi animo perjurus.
pro vero asseverat, et qui fidem juratam in alte-
rius praejudicium sponte sua violat, praesertim
in judicio. Itaque inconsulta, et calore iracun-
diae, vel amoris aestu facta perjuria, vel atten-
tata, et sine effectu, vel quae jus alterius perfe-
ctum non laedunt, solum Deum ultorem habent.
Jusjurandum *civile*, aut *religiosum*, quod vel
usus approbavit, vel joco, et inter epulas fuit
praestitum, huc non pertinet.

Perjurium extrajudiciale legibus nostris non punitur; civile tamen in perjurum judicium est, qui damnum, quod sua culpa sine lucro dedit, refarcire tenetur. Officiales item, qui contra juramentum generale ab eisdem praestari solitum ex Ord. lib. I. tit. 67. §. 15. quidquam faciunt, non perjurii poenis, sed falsitatis, et aliis pro modo delicti puniendi, Ord. lib. 5. tit. 53. Impune in foro civili est perjurium eorum, qui quod verum habue-
runt, verum esse juraunt, vel ex quo nullum, vel leve
damnum sequutum fuit, Cald. de empt. cap. I. n. 19. Im-
Tom. V. F. mu;

munes autem ab omni ferme poena sunt, et licitae omnino imprecatio[n]es quaedam religiosae, et civiles, quas diversus Gentium usus admissit, et tales erant *Sela*, et *Vah Haebreorum*, *Pol*, et *Aedepel* Latinorum, per Deos immortales, vivat dominus, ne vivam, cet., Everard. Otto: *De jurejur. per gen. Princip.*, Harsen.: *De jurejur. veter.* cap. XVIII.

§. XIX.

*Perjurii
poenae.*

Falsum testimonium in omnibus caussis tam civilibus, quam criminalibus capitale crimen est, Ord. lib. 5. tit. 54. in princ. ibi: *A pessoa, que testemunhar falso em qualquer caso que seja, morra por isso morte natural*, Emm. tit. 8. eod. Eamdem poenam incurrit, qui testes in caussis criminalibus capitalibus ad pejerandum solicitavit sive ad reum condemnandum, sive absolvendum. In civilibus, et delictis non capitalibus perpetuo in Brasiliam exilio, et amissione bonorum, descendantibus, vel ascendantibus non extantibus, punitur. Qui vero testem pecunia, vel alio modo subornavit, quamvis nec testimonium sit dictum, nec pecunia acceptata, publice flagellatur, et in Africam, vel Brasiliam decem in annos relegatur, Ord. cit. §. 1. et 2.

Perjuriis occasionem leges ipsae dedisse videntur, dum jusjurandum ubique requirunt; nam *ex jurandi consuetudine*, ut ait Augustinus Epist. 137. in *perjurium saepe castigatur*, et *semper perjurio propinquatur*. Dionysii lege aer. 1340. Pace Julia data apud Ord. Alph. lib. 5. tit. 37. §. 1. perjuris manus et pedes amputantur, et oculi effodiuntur, quam poenam Alphonsus V. ibidem §. 4. mitigasse gloriatur, eique substituisse linguae solam amputationem. Idem Dionysius alia lege Oliipone lata 7 Jun. aer. 1354. apud eam. Ord. tit. 99. linguae evulsionis poenam, et *vivicomburum* in blasphemos statuit: in more enim hoc tempore ubique gentium positum erat, ea quemque corporis parte puniri, qua deliquit. Leges autem has injustas, et inhumanas, quae ex male intellecta doctrina de delictis in Deum severius vindicandis, et ulciscendis ortum habent, posteriores Codices aliquantulum emendarunt; rem tamen non perfecerunt.

§. XX.

§. XX.

Sacrilegium , in Ecclesiam , et Rempubli-
cam delictum ex mente juris canonici , est *omnis* ^{gium}
violatio , *invasio* , *vexatio* , *atque detentio re-*
rum , *personarum* , *juriumve sacrorum* . Com-
mittitur vel ratione *loci* , cum quis Ecclesiae ,
Monasterii , hospitalis , alteriusve pii loci sancti-
tatem laedit , cap. *Ad haec* 4. De religios. do-
mib. , vel ratione *personae* , cum Clericum quis
verberat , vel capit , can. *Si quis suadente* 29.
Caus. XVIII. Quaest. IV. , Berard. tom. IV. Dissert.
III. cap. I. pag. *mibi* 119. ; vel ratione *rei* , cum
res sacro usui destinata usurpatur , vel non sacra
de sacro , can. *Quisquis* Caus. XIV. Quaest. IV. ,
et hujus tantum sacrilegii leges nostrae mentio-
nem faciunt. Jure Romano , et Patrio sacrilegus
est , et capite puniendus , qui res sacras cujuscum-
que valoris legit , id est , furatur e loco sacro ,
Ord. lib. 5. tit. 60. §. 4. Emm. 37. §. 5. Qui
non sacram de sacro contrectat , vel sacram e
profano loco , ad triremes damnatur Ord. cit.

Dicitur sacrilegium in sensu juris canonici quaecumque
Religionis , et sacrorum violatio , et hac significatione ,
qua latissima est , delicta multa comprehendit , quorum
jus nostrum speciale mentionem non facit. Furtum rei
sacrae ex mente juris civilis cit. Ordinatione severius quam
simplex , et plus justo , si dicendum quod res est , punitur ,
Filangieri tom. IV. cap. XLV. Mr. Philipon de la Made-
leine Lettre à l'Editeur de la Bibliothèque des loix criminel-
les , sur un vol des vases sacrés apud Briffet Biblioth. Phi-
losoph. tom. IV. pag. 171. Vide , sis , Tit. VI §. XIV.
Sub Imperatoribus sacrilegium civile erat non modo Prin-
cipium violare constitutiones , verum etiam *disputare de*
Principali judicio : sacrilegiū enim instar est dubitare , an is
dignus sit , quem elegerit Imperator , l. 3. Cod. De crim.
sacrileg. Quod plenum assentationis , arrogantiae , atque pe-
riculi est , Boehmerus Exercit. : *De variis sacrileg. specieb.*

ex mente jur. civil. §. XL. XLI. XLVI. tom. VI. Quis enim non indignabitur, cum scriptum legerit Principem eos, qui de suo judicio judicaverint, pro sacrilegis habere? Itane falli nequeunt Principes, qui cum rerum multitudine obruti, non possunt omnia per se ipsi agere, sed alienis saepe videre necesse habent oculis, decipi facillime possunt? Novimus profecto amorem, pietatem, et reverentiam, quam Principi debent cives illius imperio subjecti: nec procacitatem linguae, aut licentiam stili, quibus pietas illa laeditur, ulla ex parte probamus. Id tamen persuadere nobis haud possumus, sacrilegii instar esse, si quis non contumeliae causa, aut de Principe detrahendi animo, suam inter amicos fortasse, et ex bona fide de ejus judicio sententiam dixerit.

T I T U L U S . III.

De crimen majestatis.

§. I.

Quid ma-
jestas, cri-
men lae-
fae ma-
jestatis,
et per-
duellio-
nis.

SUMMA in quacumque Republica potestas, si-
ve illa in uno, sive in pluribus, sive in to-
to populo consistat, *majestas* vocatur. Quicum-
que adversus hanc supremam potestatem dolo ma-
lo ausus quid fuerit in ejus contemptum, aut
contumeliam, crimen laefae majestatis committe-
re dicitur: perduellionis autem, qui hostili ani-
mo adversus Rempublicam, Principem, vel ne-
xum civitatis, cui nomen dedit, machinatur, I.
I. §. I. l. 3. §. 3. Ad leg. Jul. majest. Et ita ni-
mirum haec crimina, quae libera Republica sub
nomine *imminutae majestatis* fuerunt notata, sub
Imperatoribus distingui cooperunt, Gundling. ad
leg. Jul. majest. cap. I. §. XXIII. Otto ad §. 3.
Inst. De public. jud.

Majestatis crimen speciale refertur ad dicta tantum, et
facta in contemptum majestatis, vel Principis inmajestatem
prae se ferentis. Quo praetextu hujus criminis nota sub
malis Principibus afficiebantur, non solum qui eorum sta-
tuas

tuas dolo, culpa, vel fortuito confringerent, lapidarent, urinamve juxta eas funderent, Sueton. in Tiber. cap. LVIII. Spartian. in Caracal. cap. VII., proprias altius prae Caesaris collocarent, effigiemve Principis nummo, vel annulo impressam lupanari, vel latrinae infertent, Senec. de benefic. lib. III. cap. XXVI., illorum imagines consecratas per aës et libram venderent, Dio Cass. lib. LVII.; verum etiam qui tempora incusarent, et se malis annis natos esse dicerent, Bulenger. lib. I. de imper. Rom. cap. XXXIV. Itaque hoc crimen, sub Tyrannis longe lateque amplificatum, singulare, et unicum fere crimen erat eorum, qui crimine vacabant, Plin. Panegyric. cap. XLII. Contra vero boni, et mitiores Principes leviora facta in se admissa, et lubricum linguae vix ad poemati trahebant. Hanc in rem praeclara est, et magno Principe digna, et quae integris verbis referatur Constitutio Imperatorum Theodosii, Arcadii, et Honorii in l. un. Cod. Si quis Imper. maledixer. ibi: *Si quis modestiae neficiis, et pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacefenda, ac temulentia turbulentus obtrector temporum nostrorum fuerit: cum poenae nemum subjugare, neque durum aliquid, nec asperum volumus sustineremus: quoniam si ex levitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab injuria, remittendum.* Unde, integris omnibus, hoc ad nostram scientiam referatur, ut ex personis hominum dicta pensamus, et utrum praetermitti, an exquiri debeant, censeamus. Et haec eadem intentio est, atque decisio Ord. lib. 5. tit. 7. Emm. 4., ex eadem constitutione deducta, quae clarius, et pleniū Ordinatione Alphonsina tit. 3. eod. libr. exprimitur.

§. II.

Initio utriusque poena fuit interdictio aquae ^{Illi} et ignis; postea humiliores bestiis objecti, ho- poena nestiores gladio puniti, Paul. lib. V. Sentent. tit. Romanorum, et 28. Poenas autem longe exacerbavit Arcadii constitutio in l. 5. Cod. Ad leg. Jul. maj., quas sub aliarum Gentium legibus, illius persona Eutropius in suam tutelam repetiit, et applicavit majestatis crimen ad illustres Confistorianos, et Senatores, de quo legendus Jacob. Gothofred. *Discursus historicus.* In perduellionis criminе, quod posteriores Romanorum leges cum

cum laesae majestatis crimine saepe confundunt ; singularia multa sunt , veluti quod reus non lugeatur , I. *Minime* 35. De relig. et sumpt. funer., Forner. lib. II. Rer. quotid. cap. XVII. ; quod filiis , et nepotibus paterna bona , et omnis successio auferatur non tam in poenam , quam in Principis securitatem , et ut caritas liberorum amiciorum parentes Reipublicae redderet , Cic. Epist. XII. ad Brut. ; quod infamia perpetua no tentur , nec ad ullum honorem perveniant ; a materna , et avita hereditate excludantur , nec ex testamentis extraneorum quidquam capiant , dict. I. 5. ; quod sufficiat solus conatus , et sceleris voluntas ; quod admittantur personae ad accusandum prohibitae I. 7. I. 8. Ad leg. Jul. majest. ; et in mortuum inquisitio ; et quod tandem silentium eorum puniatur , qui , criminis futuri notitiam habentes , illud non detulerunt , Gundling. cit. cap. ult. Nec mitiores quidem in perduelles fuerunt Macedones , Persae , Carthaginenses , Graeci , et Gentes aliae , ubi liberi , et cognati eorum , qui in Regem conjuraverunt , capite damnabantur. Vid. Grot. de jur. bell. ac pac. lib. II. cap. XXI. §. XV. *Falangieri* cit. cap. XLVI. *Esprit des loix* lib. VI. cap. XX. Arcadii terribilem constitutionem Decreto suo inferuit , et ad verbum descripsit Gratianus can. 22. Caus. VI. Quaest. I. can. 9. De poenit. Dist. I. Inserta etiam fuit Codice Wisigothico lib. II. tit. I. §. 8. , et Edicto Theodosi cap. 107. apud Bavares. tit. XI. cap. I. art. I. et cap. XI. art. unic. , et a Carolo IV. tit. XXIV. *Bullae Aureae*. Et hoc jure hodie etiam dum utuntur Galli , *Domat Supplm.* Jur. Publ. lib. III. tit. II. art. 6. , Castellani I. 3. tit. II. Part. VII. I. 1. tit. XII. lib. VIII. Recopilat. , I. 2. tit. XVIII. eod. , Angli , *Blackstone* Leg. Angl. Comment. tit. V. lib. IV. cap. VI.

VI. Cowell. *Inst. Jur. Anglic.* lib. IV. tit. XVIII.,
ceterae Europae Nationes.

Bene hanc in rem Renazzi Elem. Jur. Crim. lib. II. cap. III. §. V. ait: Fuerunt quidem, qui dicerent parentum scelera, quamquam acerbe, non tamen inique filiorum poenis lui, ut caritas liberorum amiciores parentes recipublicae redderet, aut ne quisquam vel ad imitandum scelus, vel ad ulciscendam mortem ex nefaria domo supereffet. Sed graviter Cicero, qui in ea alioquin fuit sententia (Epist. XII. ad Brut.), sciscitur (De natur. Dcor. lib. III. §. XXXVIII.) : Ferretne ulla civitas latorem istiusmodi legis, ut condemnaretur filius, aut nepos, si pater, aut avus delinquisset?

§. III.

Eodem etiam jure nos utimur a Joannis I. Et Pa-
praesertim tempore, quo regnante, maxima juris triis.
Romani auctoritas erat. Itaque Arcadii terribilis
constitutio in Alphonsinum Codicem lib. 5. tit.
2. translata primum fuit, ab eoque in posteriores
Emmanuelis tit. 3. et Philippi tit. 6. eod.: adeo-
que ea omnia tribus hisce Codicibus probata fue-
runt, quae jure Romano, id est, Imperatorum
legibus posterioribus hoc de crimine sunt consti-
tuta. Quod vero Alphonsino Codice e jure Ro-
mano dicitur de crimine majestatis eis applican-
do, qui Regis Consiliarios, et Administros of-
fendunt, sequentibus fuit omissum.

Ordinatio Alphonsina cit. immediate deducta videtur ex
Alphonsi, Castellae Regis, majestatis legibus Part. VII. tit.
2. insertis, quae tunc temporis magno apud nos in pre-
tio erant, et quas proxime piae manibus et oculis ha-
buisse videntur ejusdem Codicis architecti, nam eisdem
ferme verbis inventur descripta.

§. IV.

Majestatis igitur crimen capita duo conti- Quae ca-
net, quorum primo veniunt regicidae, per- pita con-
duelles, proditores, transfugae, seditionis, ceteri pertineat,
et quales et utriusque
Ord. poenae.

Ord. lib. 5. tit. 6. §. 1. et sequentib. recensiti; quibus poena est mors naturalis crudelis, bonorum confiscatio, et perpetua filiorum, nepotumve infamia, cet., quae ead. Ord. §. 9. 10. 11. 13. habentur, et hic ea omnia *singularia* locum habent, quae supra §. II. e jure Romano retulimus. Secundo veniunt laesae simpliciter majestatis rei, quales inter alios dicuntur, qui cibides datos offendunt, quique a Rege, vel a Judicibus ab eo deputatis condemnatum, et jam ad executionis locum procedentem in via detinent, et a justitiae manu ac potestate eripiunt, vel a publicis carceribus demittunt; qui puniri jubentur propriis delictorum poenis, et bonorum confiscatione, quamvis descendentes habeant, vel ascendentibus: ipsi tamen nulla injuria, et infamia afficiuntur ead. Ord. §. 28. Hoc tamen in crimine majestatis speciatim dicto admittuntur quoque testes inhabiles, et inimici, et tormenta dantur ex levibus indiciis, Ord. §. ult.

Majestatis crimen, inter publica civilia gravissimum, gravissimas depositit poenas, et quidem capitales atrociores, ast non crudeles: nam, ut bene ait Cicero lib. III. de Offic. §. XI.: *Nihil, quod crudelis, utile.* Est enim hominum naturae, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas. Quod vero ipsa poena crudelis sit, et quod filii, et nepotes innocentes perpetua notentur infamia, officiis omnibus, et dignitatibus ipso jure priventur, et ad munera omnia habeantur inhabiles ex solo parentis delicto, quando nihil est, quod ab eis timeatur, nec possint ex testamento, vel ab intestato ascendentibus, collateralibus, aut extraneis succedere, inhumanum, et barbarum eorum ferre omnium opinione est, qui hodie ad scribendum de rebus criminalibus animum adpulerunt. Namque poena suos tantum debet tenere autores l. 22. Cod. I. 20 l. 26. ff. De poen., neque ulla ratione justa fieri potest, quae natura sua injusta est; neque praeterea pater criminatus, a quo omnis virtus, et caritas abest, quem propriae vitae, et Patriae amor non deterret, ob poenam, quae filii, eo mortuo, manebit (quae Ciceronis, et veterum ratio est),

a crimine patrando potest deterreti, *Traité des corps politiques lib. III. cap. X. Discours sobre las penas cap. V. §. II. n. 21. 22. 23. §. IV. n. 9 §. V. n. 16.*, cet. Alii aliter hodie etiam num non contemnendis proflus rationibus, quas examinare, et inter se cum adversariorum rationibus conferre instituti nostri non est. Hoc tamen nos jure constituto utimur, quod satis est, et Gentes omnes, non tam e Romanis, quam ex antiquis Nationum legibus ad nos usque derivato, de quo videnda Mr. Bernardi *Mémoire à Societate Regali Metzenzi proposita anno 1784. Sur l'origine de l'opinion, qui étend sur tous les individus d'une même famille une partie de la honte attachée aux peines infamantes, que subit un coupable. Cette opinion est-elle plus nuisible, qu'utile?* Et videndum quoque Renazzi supra cit. *Confusatio bonorum non tam poena, quam calamitas dicenda videtur, et consequentia paterni delicti.* Schrödt Jur. Publ. Univ. P. II. cap. III. §. XXII.; et inde est, quod in paterna bona allodialia, vel a Rege habita quocumque titulo filius non succedat: *Quae vero non a patre, sed a genere, et civitate, a rerum natura tribueruntur, ea manere eis incolumia* Alphenus ait in l. 3. De interdicto, et relegat. Quod vero majoratus administratione etiam patrimonialis priventur, conseclarium infamiae est, et ita hodie intelligenda *Ordinatio lib. 5. tit. 6. §. 15.* post Novellam 3. Aug. 1770. §. XI.

§. V.

Delicta contra jus Gentium commissa majestatis non male dicuntur. Illorum autem rei sunt, qui publicam fidem, seu securitatem, quam *salvum conductum* vocant, a Rege promissam infringunt, obsides datos, vel Gentium liberarum Legatos offendunt, Ord. lib. 5. tit. 6. §. 21. vers. *E hem affy*, et §. 23. Emm. tit. 3. §. 21. 23. Alph. tit. 2. §. 15. 16. eod., piraticamve exercent, *Blackstone* tom. V. lib. IV. cap. V.

Haec, et similia delicta specialibus tantum Anglorum legibus puniuntur; ea autem ad majestatis crimen proxime accidunt, vel quia supremam Gentium majestate laudent, vel quia, eis impunitis, bello non semel occasio nem dedisse constat, *Filangieri* tom. IV. cap. L.

Tom. V.

G

T I-



TITULUS IV.

De vi publica, et privata.

§. I.

*Quid vis
publica,
et priva-
ta.* **D**icitur vis publica violentia atrox adversus publicam securitatem, vel publicum ordinem, sive a persona publica, sive personae publicae, lecisve speciali sanctitate munitis, cum armis, vel sine armis, dolo malo commissa. Privata, violentia simplex sine armis in privatum admis- sa, Jacob. Gothofred. ad l. 152. De reg. jur.

§. II.

*Et qui
eam
commis-
tant.* Vim publicam committunt, 1) qui seditiones, turbas, et tumultus in civitate movent: 2) qui Magistratibus, eorumque Officialibus in officio resistunt; et 3) ipsi quoque Magistratus, qui publica potestate abutuntur: 4) qui publicos carceres effringunt, vel privatos habent: 5) qui armis aliena jura invadunt, et bona rapiunt: 6) qui domos alienas, et vias publicas obsident: 7) qui virgines, et feminas honestas praefertim per vim, et dissentientes stuprant, vel libidinis caussa abducunt: 8) qui alios ad pugnam singularem provocant. His enim, et similibus delictis securitas publica, auctoritas, et oeconomia quam maxime turbatur. Qui sine armis rem alicujus rapit, privatam vim committit.

§. III.

§ III.

Vis a privato in privatum casu commissa, Quo nomine Lu-
Lusitane dicitur *rixa nova*: consulto, *rixa velha*: sitane vo-
praemeditata, et adversario indicta, *duellum*, (re-
pto, *desafio*): in personam publicam, *repugnatio*, catur, et
(*resistencia*): a pluribus in turba commissa, nullo quot ri-
fine, et casu adunata, *tumultus* (*motim*): in Re-
gem, vel Rempublicam, *rebellio*: in Regis Admi-
nistros, ordinemve publicum, *seditio*: in priva-
tos, *assuada* speciatim vocatur. Et ita delicta a
multitudine hominum conflata distinguere placet.
Rixam duo, vel tres homines, et deinceps; *tur-
bam* autem, et *tumultum* decem saltem constituunt
ex sententia Labeonis in l. 4 §. 3. De vi bonor. ra-
ptor., quam proxime sequuta fuit Extravag 12.
Aug. 1717. apud Ord. lib. 5. tit. 45. Coll. I. N. I.
Rixa publica ~~quaevis~~ *quandoque* *meditata* *esse*
tumultus ~~concessum~~ *debet* *esse* *de* *tit. 45.*

§. IV.

Tumultus non alterius laedendi caussa, sed *Tumul-*
fortuito commotus, ex quo nullum sequutum fuit *tus quo-*
damnum, quamvis veruin delictum non sit, ta-*modo*
men Politiae Magistratus officio praeveniri debet,*puniان-*
et coerceri levioribus quidem poenis in tumultus
praeferit auctores; nam contemptus magnum ex-*tur.*
citare potest incendium. Damnum in turba da-
tum poenis ordinariis delicti punitur.

§. V.

Tumultus seditiosus, hoc est, *rebellio* (§. Rebel-
III.) in Regem, vel Rempublicam dolo malo,
et hostili animo initus, verum perduellionis, et
laesae majestatis crimen est, adeoque eisdem poe-
nis puniendum (Tit. III. §. III. IV.). Qui ca-
G ii su,

su, vel ignorantes in turba reperiuntur, vel nullis, vel mitioribus poenis pro ignorantiae qualitate afficiendi. Civitas rebellis non solo aequanda est, nec sale adspergenda; suis tamen iuribus, et privilegiis privari debet, et civitatis alterius jurisdictioni supponi. Itaque tumultus in primis auctores, et nocentes, non cives promiscue omnes puniendi, neque in sortem mittendi, cum in innocentes deerrare possit, Heinecc. de Jur. Nat. et Gent. lib. II. cap. VIII. §. CLXIII. Creman. de Jur. Criminal. lib. I. cap. VI. §. 59. P. I. Hottoman. *Illustr. Quaest.* 42. Gothofred. ad leg. *Quisquis Cod.* Theod. ad leg. Cornel. de fiscar. cap. VI. (§. IX. et XXVI. Tit. I.)

§. VI.

*Coetus
clandestini.*

*22 diplom. 30 Mar
1618.*

Coetus nocturni, et clandestini non statim pro illicitis habendi; innoxii enim esse possunt; prudenter tamen, non curiosius illorum causa exquirenda est, priusquam jubeantur dissolvi: namque fieri potest, ut inde factiones oriantur, et intemperantia comissionum, et comptationum, quae, uti bene Cujacius ait lib. VII. Observat. cap. XXX., *deterrima parit, inutilissima, et nefandissima quaeque.* Qui vero in consanguineorum, amicorumve domum coeuntes de publicis, privatisve rebus paulo liberius inter se loquuntur, maledicendi licet animo, modo nocendi absit, tolerandi: domus enim tutissimum cuicumque refugium est, ubi omnia licent, quae cum alterius damno conjuncta non sunt. Quare coetus non omnes et coitiones pro illicitis, et suspectis haberi debent; quo praetextu mali Principes ad cives optimos opprimendos non semel usos fuisse historia omnium temporum testatur, Tacit. Annal. III. 38. Sueton. in Neron. cap. XXII. et Domitian.

cap.

cap. XII. Loquaces igitur homines , qui genio suo indulgentes acutis dictis , utut mordacibus , laedunt , et ex more omnia reprehendunt , vel contemendi , quod satius esse videtur , vel admonendi , vel leviter pro dicti , vel facti malitia puniendi , Ord. lib. 5. tit. 7. Emm. 4. Alph. 3. , l. un. Cod. Si quis Imper. maledixer. (Tit. III. §. I. Not.)

Aliud dicendum de Ecclesiasticis , qui in pulpito , vel cathedra Juris , aut Theologiae propositiones quasdam proferre , propugnare , disputare , ausi sunt , quae Religionem , et publicam quietem turbare posunt , vel coetus in civitate excitare ; hi enim non tolerandi , sed graviter pro earum qualitate puniendi tam ecclesiasticis , quam civilibus poenis . Quae in eos statutae sunt Henrici IV. , Galliae Regis , et Caroli IX. Edicis 1561. 1563. et 1599. nimis acerbae videntur : mitiores aliquantulum , quae habentur lib. XVI. tit. 4. Cod. Theod. : *De his , qui super Religionem contendunt . Patriae leges nullam de hoc crimine mentionem faciunt.*

§. VII.

Vis publica in Magistratus cujuscumque ordinis , et Officiales in eis , quae ad officium suum spectant , ab uno , aliove cum armis commissa , hoc est , repugnatio qualificata , Lusitane resistencia , ex qua vel actus judicarii impediti sunt , et omni prorsus effectu destituti , vel , iis perfectis , et ad finem usque perductis , vulnera etiam leviora sequuta , majestatis crimen est secundi , ut vocant , *capitis* , poena *anissionis animae* , ut loquitur Justinianus in §. 3. Inst. De public. jud. , et confiscationis bonorum puniendum ex novo Josephi I. Diplomate 24. Octobr. 1764. §. 2. Vis a multitudine hominum facta , hoc est , *seditio armata* (§. III.) , si Diplomatici hujus sententiam , et rationem sequamur , eisdem , immo majoribus poenis , cum gravius delictum sit , coerceri debet.

bet. Illius autem praefatum Diploma speciatim non meminit, nec *simplicis seditionis*, *simplicis repugnationis* sine armis.

Crimen maiestatis in eos tantum cadit, qui Principem, vel Rempublicam immediate, et directo, ut loquuntur, offendunt; neque illius censeri rei debent, qui privatis rationibus, non in maiestatis contemptum, Judicibus, et Officialibus iura exercentibus resistunt. Itaque *sedatio simplex*, vel *repugnatio* grave quidem delictum est, sed non capitale, praeferunt sine armis, nec laesae maiestatis modo eam directo non oppugnet, neque in rebellionem degeneret, neque in favorem reorum laesae maiestatis commissa sit; et hoc sensu intelligendum praefatum Diploma, Goinez. Variar. tom. III. cap. II. n. 7. Limit. I. Quam intelligentiam et juris ratio, et forensis usus probat, cum nec ante, nec post dictum Diploma capitis poenam in similes criminosos inficiam videamus. Qui justitiae, hoc est, Magistratibus, eorumque Officialibus resistunt, Ord. lib. 5. tit. 49. Emm. 36. pro illorum, et resistentiae qualitate, modo capite plectuntur, vel manus amputacione in casu vulneris dum pugnatur inflicti, modo exilio in Africam, vel Brasiliam. Eisdem poenis afficiuntur, qui jam vincitos non e carcerebus, quod speciale crimen est (§. VIII.), sed ex Apparitorum manibus eripiunt, Ord. cit. tit. 48. in princ. Emm. 35. Alph. 90. Quia vero gravius peccant extranei obnitentes, qui vinculum nulla eisdem sanguinis necessitudine conjunculum e justitiae potestate eripiunt, quam filius, vel consanguineus, qui patrem, vel consanguineum exemit, et hi magis, quam vincitus ipse, qui propria virtute se liberavit, et vincula dissolvit; magnam enim excusationem in propriae libertatis amore habere videtur: facile omnes vident vis publicae reos non omnes eisdem pariter poenis esse afficiendos: has tamen, et similes differentias, et excusationes, quas humanitatis ratio, et delicii natura suppeditat, Patriae leges fere ubique contemnunt. Distinguenda autem perpetuo est vis *simplex* sine armis, et sine effectu, a *qualificata*, et *seditionis*, itemque injuria verbalis, et simplex contemptus, vel non obedientia Magistratus iussibus, a vi in publicas personas in officio suo, vel extra commissari: minora namque haec crimina carceris poena judicis arbitrio puniuntur cit. Dipl. 24. Octobr. 1764. §. 3. Ord. lib. 5. tit. 50. Emm. 66. Alphon. 91.

§. VIII.

Seditiosus vel maxime est, et capitale crimen committit, qui publico carcere detentum, et jam sententia judicis capite damnatum, eo effracto, vel quovis alio modo dolo malo, et per vim armatam praesertim exemit; et ita intelligenda Ordinatio lib. 5. tit. 48. §. 1. Emm. tit. 35. §. 1. Alph. 90. §. 2.: mitius autem puniendus, si industria sine vi, dolo bono, vel corruptione commentariensis. Omnium autem mitissime puniendi vir, et uxor, qui, quaeve muliebri, virilive ueste induiti, vel aliis artificiis, et fraudibus uxores, vel maritos e carcere liberarunt, cujus rei exemplum illustre dedit Maria Reygersbergia, virilis animi, et Hugonis Grotii uxor, quae eum arcae inclusum e custodia liberum reddidit. Vide, sis, Plutarch. libello *Illustrium mulierum*, et Gomez. lib. III. Variar. cap. IX. n. 12. Reus captus, qui sine vi, et carceris effractione aufugit, vix ulla poena afficiendus, Ord. lib. 5. tit. 48. §. 3. Engav. Elem. Jur. Crimin. lib. I. tit. XLIX. §. DXXXVI.; fuga quippe delictum non est: securiore tamen, et leveriore carcere includendus, si iterum capiatur. Quod vero propterea tamquam confessus, et convictus habeatur, aliis probationibus deficientibus, injustum est; fugere enim poterat non ob sceleris conscientiam, sed ad evitandas carceris molestias (Tit. XVIII. §. VI.) Perez. ad tit. Cod. De custod. reor. n. 14: *Ignoscendum enim est ei, qui non modo sanguinem suum, verum et naturalem libertatem (et hoc addendum puto) qualiter qualiter redemptam voluit, prout bene ait Ulpianus in l. I. De bon. eor. qui ante sentent. mort. sibi consciver.*

Carcerum effractores, ab eiusdem auffugientes, vinclatos eximentes.

Neque obstat Ordinatio cit. tit. 43. §. 2. ibi: *E será havido por provado o malefício de qualquier preso, que fugir da cadea, quando assi for quebrada, postloque se the não prove, que por seu mandado se fez: intelligenda quippe necessario est de eo, qui per vim, et fracto carcere aufugit, probationibus aliis veris exstantibus, nam ex fictis condemnandus est nemo: vel dicendum verba será havido por provado o malefício referenda esse non ad delictum principale, sed ad carceris extractionem, quae eo instigante facta videtur; nisi contrarium probaverit: is autem in hoc etiam casu mitius puniendus, quam extraneus carceris effractor.*

§. IX.

*Et commentarienses fungam dan-
tes.*

Ignoscendum tamen non est carceris custodibus, quorum dolo, et sordibus eo detenti au-
fugerunt; hi enim capite plectuntur, si reus ex
capitali criminis vincitus, et jam condemnatus
aufugit: ex aliis criminibus, flagellantur, et
biennio in Africam relegantur; et ita intelli-
genda Ordinatio lib. I. tit. 77. §. 3. Nam ante
sententiam condemnatoriam vincitus pro reo
habendus non est, adeoque illius custodes ea-
dem poena coerceri non debent, quam ipse susti-
nuisset. Mitius igitur hoc casu, et quando in cul-
pa tantum sunt, pro illius gradu arbitrio judicis
puniendi, poena *legitima* deficiente, Perer. De-
cis. 69. Debent autem custodes reos pro diversa
criminis qualitate diverso carcere includere, Ord.
lib. I. tit. 33. §. 2. ibi: *E aprisoa-los segundo os maleficios, em que forem culpados*, Emm. 27. §. 2.
Alph. 32. §. 2. Quod enim eadem custodia detinean-
tur simul raptores, assassini, cet., et qui corre-
ctionis causa capiuntur, inhumanum prorsus est,
et pericolosum; nullum namque flagitii genus est,
quod inde non timeatur: itaque maxime veren-
dum, ne incorrigibiles illorum consuetudine effi-
ciantur, quos civitas carcere emendare voluit,
non corrumpere. Haec tamen ad Politiae Magis-
tra-

tratum in primis spectant , cuius est cavere , ut correctionis carceres habeantur distincti ab eis , qui homicidis , proditoribus , et perditis jam hominibus recipiendis destinantur . (Tit. I. §. XIX.)

§. X.

Privati carceris crimen committit , qui domo sua , vel alibi citra Principis auctoritatem quemque etiam criminosum includit , et vi ad XXIV. horas detinet . Justiniani constitutione , qui hoc facit , tot diebus ipse patiebatur poenam publici carceris , quot alium retinuit in privato , et caussa cadebat , quam habuit adversus inclusum , l. 2. Cod. De privat. carcerib. Quae poena magis delicto respondet , quam flagellationis , vel exsilio in Africam statuta Ord. lib. 5. tit. 95. in princip. Emm. 68. Alph. 92. §. 3. Hoc crimen incurunt , 1) Nobiles subditos suos , et vassallos invitatos detinentes , catenis vincientes : 2) Episcopi sine Regis licentia publico , privatove carcere utentes ; nam jurisdictionalia non nisi ea petita , et obtenta exercere possunt , Extravag. 28. April. 1647. apud Ord. lib. 2. tit. 9. Collect. I. N. I. : 3) Monachi : iis tamen permisum privatos habere carceres , eisdemque fratres male morigeros correctionis gratia , et ad tempus detinere justis de caassis , et secundum suas constitutiones ab ecclesiastica , civilique potestate expresse , vel tacite approbatas ; modo carceres ipsi salubres sint , et ad custodiam magis , quam ad poenam , vindictamve instituti , eisdem inclusis ad vitam necessaria omnia subministrantur , humaniter tractentur , plenissima defensio eisdem concedatur , et libera tandem cum Religiosis bene morigeris conversandi facultas . Quod si hac in re Superiorum Ecclesiastici peccant , quod non semel

evenisse dolemus, in promptu sunt oppresso juris remedia, veluti appellations judiciales, vel coram probo viro, supplicationes, et recursus ad Principem, vel ad Regiae Coronae Auditorium, (Inst. Jur. Public. Tit. V. §. LVII. Not.). Magistratus quoque *ordinarius* potest, et debet, illius auxilio maxime implorato, auctoritatem suam interponere, et si non causam judicare, violentiam certe repellere, et hominis, et civis naturalia jura tueri, quae Monachus professione sua non amisit. Ni quis autem acerba sunt, et ab omni fortasse humanitate aliena, quae de carceribus Monachorum, ceterisque hic facientibus tradit Amenus tom. I. Quaest. V. cum seq. et passim, Anaclet. ad tit. De accusat. §. 8. Videenda omnino Mariae Theresiae Imperatricis Constitutio 7. Septembr. 1771. apud Rieger P. IV. Jurisprud. Eccles. §. DCXXII. Not., et Josephi I. Regia Resolutio ad Palatii Curiae Consultationem habita 2. Maii ann. 1775., qua provinciarum Praetores Monasteriorum carceres invisere jubentur.

§. XI.

*Et a qui-
bus non.* Excipitur pater, et dominus, qui filiumfamilias, et servum castigare, et domi includere possunt, modo atrocitas facti jus domesticae emendationis non excedat, Ord. cit. lib. 5. tit. 95. §. 4., l. 3. Cod. De patr. potest. l. un. Cod. De emend. fervor. l. un. Cod. De emend. propinquor. (Inst. Jur. Personar. Tit. IV. §. VII. et Tit. VII. §. II.), Licet viro adulterum cum uxore sua deprehensum, quem occidere prohibetur, ad XXIV. horas detinere, Ord. cit. §. 2., l. 25. ad Leg. Jul. de adulter. Unusquisque potest latronem, homicidam, et similes reos *in flagranti* deprehensos tamdiu detinere, donec judici exhibeantur, Ord. lib. 5. tit. 60. §. 7., et lib. 1. tit. 75. §. 10., et

et tit. 65. §. 37. eod. Qui autem *in flagranti* deprehensi dicantur, declarat Diploma 25. Septembr. 1593. apud Phaeb. II. P. Arest. 191. Permissum tamen non est creditori debitorem suum, de fuga licet suspectum, etiam vi pacti cum eo initi detinere post Novellam 20. Jun. 1774. §. 19. et Senatus Olisponensis Deliberationem 18. Aug. 1774., (Inst. Jur. Civil. Lusit. lib. IV. Tit. XXII. §. XVIII.). Quare nullius hodie auctoritatis sunt Ordinationes lib. 4. tit. 76. §. 3. et lib. 5. tit. 95. §. 3. Pecus alienum deprehensum, si quid in agro depastum est, rei testandae causa detinere licet, vel in custodiam mittere, eidem detinendo publica auctoritate institutam, Ord. lib. 5. tit. 87. §. 3. Emm. 62. §. 2., (Inst. Jur. Public. Tit. VII. §. XII. in fin.).

Quae in liberos potestas sit jure Naturali, vel Romano, hujus loci non est inquirere. Vide, sis, Pinkershoech.: *De jure occidendi, vendendi, et exponendi liberos*, Gerard. Noodt in Jul. Paul. in l. 4. De agnosc, et alend. liber. et Amic. ad eund. Respon. Illud tandem placuit, et congruentius visum fuit, *controversios intra domum inter patrem et filios, illius judicio terminari*. Sed si ita res fuerit, ut pro injuriis eorum et ad jus experientum, et ad vindictam processeris, *aditus Praeses provinciae super disceptationibus quidem pecuniariis consuetum exerceri jubebit ordinem juris*, l. 4. Cod. De patr. potest. Dicere autem debet Praeses eamdem sententiam, quam pater dici voluerit, l. 3. eod. Et hoc jure utimur. Senioribus quoque propinquis in corrugendis minoribus, et propinqui juvenis erratum privata *animadversio ne compescendi* potestatem tribuunt Imperatores in l. un. Cod. De emend. propinq. Et hoc est judicium illud *familiaire* in filiorum, et propinquorum delictis familiaribus praesertim exercendum, quod hodie tantopere non nulli commendant. Barbarum autem est, quod legitur in l. un. Cod. De emend. servor., non a Nerone, sed a Constantino, quod mirandum, constitutum: *Si virgis, aut loris dominus servum affixerit, aut custodiae causa in vincula conjecerit: dierum distinctione sive interpretatione depulsa, nullum criminis metum servo mortuo sustineat.* Quae aliter se habent jure nostro, quo patri aequa ac domino modica tantum castigatio conceditur Ord. cit. lib. 5. tit. 95. §. 4.

60 INSTITUTIONES

ibi: *Castigar, e emendar de mas manhas, e costumes, Decret.* 30. Septembr. 1693., ibi: *Hey por bem, que os escravos ... não sejam molestados com ferros, nem mettidos em prisoens mais apertadas, que aquellas; que baixarem para a segurança,* apud Ord. cit. Coll. II. N. I.

§. XII.

*Vis pu-
blica in
priv-
atum, id
est, af-
fuada.*

Vis publica a multitudine in privatum commissa, hoc est, *affuada* (§. III.), arma praecise non requirit, Gothofred. ad l. 152. De reg. jur., Otto ad §. 6. Inst. De interdict., et 8. Inst. De public. jud.: requirit tamen *turbam*, seu *decem saltēm personas* (§. III.) alterius laedandi causa adūnatas, Ord. lib. 5. tit. 45. in princ. ibi: *Para fazer mal*, Emm. 51. Qui ergo turmatim in alicujus aedes irrumpentes illarum dominum, domesticos, hospites, vel quosvis alios ibidem exstantes vulneraverint, capite plectuntur. Vulneribus non sequutis, Nobiles in Africam decem in annos, ignobiles totidem in Brasiliā verberibus prius affecti relegantur, Ord. cit., et lib. 1. tit. 58. §. 9.

Quamvis nihil magis Reipublicae tranquillitatem turbet, quam si homines, potentia sua freti, ipsi sibi jus dicant: tamen maiores nostros una cum reliquis Europae Gentibus vi, et armis potius, quam judiciis olim inter se disceptasse satis constat. Hunc per arma disceptandi usum probant inter nos exempla apud Monarchiam Lusitanam lib. XVI. cap. XXXV. allegata, Alphonsi III. leges generales 27. Febr. aer. 1310. apud Ord. Alph. lib. 5. tit. 45. et Dionysii Regis speciales hanc in rem Ordinationes Comimbricae datae ann. 1314. (Histor. Jur. Civil. Lusit. §. XLVIII. et LIII. Not. litter. 6.). Eundem usum probant, atque confirmant *litterae inimicitiae* in suprema Palatii Curia expeditae, quarum mentio fit Ord. lib. 1. tit. 3. §. 5. Eimm. eod., tandem aliquando, sed sero admodum abrogatae Dipl. 10. Mart. 1608. apud eamdem Ord. Coll. I. N. I.

§. XIII.

§. XIII.

Privata autem vis in privatum admissa modo ^{vis pri-}
gravius, modo remissius punitur. Qui uniuscujusque
domui, qua nihil sanctius, nec omni religione muni-^{vata.}
tius, vim fecerit, vel fôres nocendi animo effrege-
rit, in Brasiliam perpetuo, nullo licet damno dato,
relegatur, Ord. lib. 5. tit. 45. §. 4. Emm. 51. §. 4.
Qui alicujus aedes foras clauserit, in Africam bien-
nio mittitur, vel flagellis subditur pro illius qualita-
te, Ord. cit. §. 5. Emm. tit. 37. §. ult. Qui rem suam
alteri per vim extorserit, illius dominio privatur,
Ord. lib. 3. tit. 40. §. 2. tit. 78. §. 4. in fin. et lib. 4.
tit. 58. in princ. Qua de causa sub gravi mulcta
prohibentur omnes homines armatos habere, eos-
que pacis, vel *treugae* tempore per civitatem,
et vias publicas secum abducere, Ord. lib. 5. tit.
47. Emm. 106., deducta ex Joannis I. lege Al-
phonsino Codice eod. libr. tit. 96. relata. Wisigo-
thorum de vi publica, et privata leges habentur
illorum Codice lib. VIII. tit. 1.

Vis privatae, et *vindictae* usum apud nos probat inter
alias celebris lex *de revindicta*, seu *vindicta*, quae Nobili-
bus praesertim eamdem sub certis conditionibus concede-
bat. Accedunt medii aevi instrumenta, quibus legitur:
*Ad quemcunque hereditas terrae pervenerit, ad eum uestis bel-
lica, id est, lorica, et ultio proximi, et solutio leudis de-
bet pertinere.* Quinimum legibus nostris, aut moribus pro-
ditum erat, ut possit unusquisque propria auctoritate per
se, vel per alias suas, suorumve injurias ulcisci, qui adeo
inveterati erant, ut eisdem purgandis, et extinguendis
haud sufficerent Alphonsi III., Dionysii, et Alphonsi IV.
leges speciales diversis temporibus repetitae (Inst. Jut. Publ.
Tit. II. §. XXIII. Tit. XII. h. lib. in Not.): quae cum fru-
stra scriptae essent, prudenter quidem visum fuit huic gra-
fanti malo indirecta quadam via obviam ire, quod factum
introductis semel a Petro I. securitatis litteris, et asylis de-
mum civilibus ad Judaeorum exemplum constitutis, qui-
bus privatae ultiones, si non extinctae, imminutae mul-
tuin.

tum fuerunt, et tandem, melioribus exortis temporibus, palam, et directe prohibitae Ord. lib. 5. tit. 45. et similibus. Non nulla tamen vis, et vindictae privatae in jure nostro vestigia exstant, veluti Ord. lib. 3. tit. 89. §. 1. lib. 4. tit. 23. §. 3. tit. 57. §. 1. tit. 76. §. 3. et lib. 5. tit. 38. in princ. et §. 1. (Inst. Jur. Public. Tit. II. §. XXIV. XXV.). De aliorum Gentium moribus videndi Grotius de Jur. bell. ac pac. lib. II. cap. XX. §. VIII. Bodinus de Republ. Sect. ult. Heineccius Elem. Jur. German. lib. II. tit. 25.

§. XIV.

Duel-
lum.

At nullum fuit vis privatae genus magis vulgare, et omnibus commune, et magis Reipublicae exitiosum, quam *duellum*, quo majores nostri in primis Nobiles, et milites usi fuerunt vel ad innocentiam suam purgandam, vel ad injurias sibi, aut suis illatas ulciscendas. Huic malo tam inveterato curando, cum in naturam quodammodo degeneraret, impares fuerunt et antiquae leges Ordinatione Alphonsina relatae lib. 5. tit. 53. Emm. 93., et novae apud Ordinationem, qua utimur, eod. lib. tit. 43., et novissimae apud eamdem Collect. I. N. I. II.

Duellum, quod sub confiscationis omnium honorum poena, et aliis, paganis aequa ac militibus interdicitur Ord. lib. 5. tit. 43., approbatum videtur de Regis saltem, judicive licentia Ord. lib. 2. tit. 26. §. 2. verbis: *Dar lugar a se fazerem armas de jogo, ou de sanha entre os requestdados, e ter campo entre elles.* Namque legibus, aut moribus antiquis permisum unicuique erat cognatorum mortem, et injurias ferro, et armis vindicare, celi constat ex Alfonsi IV. lege Conimbricae data 17. Mart. aer. 1364. ibi: *Porem porque nos nossos Regnos era husta maneira usada, que cadalhão queria acoimar (hoc est, castigar) morte, e desonra de seus parentes, segundo lhes pertencia em devido: quam quidem vindictam Alfonsus eadem lege prohibuit; permisit tamen duellum inter Nobiles,* ibi: *E quanto he em feito de retes: tecmos por bem, e mandamos, que se guarde por aquella maneira,* que

que se guardou entre os filhos d'algo ataqui. Hodie etiam dum legibus militaribus exauditorantur milites, et loco moventur, qui ad singulare certamen provocationem detrectant. Duella igitur vel justa, et licita erant, veluti quae a judice certis sub formulis, et legibus decernebantur, quibus exponendis nescio au primas teneat Carolus du Fresne Dissert. *De duellis* tom. II., vel injusta, quae propria auctoritate, et sine judice sive clam, sive palam legum contemptores indicabant. Frustra autem iis extinguidis laborabunt Principes, quandiu steterit falsa opinio de honore offenso aliorum injuriis, de eoque non jure, sed propria manu, et ferro vindicando: quae, quamvis Gothicæ originis sit, plures adhuc hodie seftatores habet, eideinque tribuenda contradicatio inter leges ipsas. Haec vero opinio multo potentior est, quam legum, et Principum auctoritas, Rousseau Epitre a Mr. d'Alembert sur les spectacles. Curia specialis honoris dicta, ab eoque longe commendata, qua scilicet casus honoris examinentur omnes, et debitissimis poenis coerceantur, publici saporis non est, nec duellorum usui extinguedo sufficiens, eadem opinione stante. *Quid leges sine moribus vanæ proficiunt.* Horat. III. Od. XXIV. 35.

§. XV.

Vis sive publicae, sive privatae species quae- Concus-
dam est *concussio*; quo nomine intelligitur quid-
sio. quid fit non per vim proprie dictam, sed per
metum potestatis publicae. Itaque Magistratus, et
Officiales, qui, munere suo, et potestate abuten-
tes, aliqua a civibus obtenu officii publici ex-
egerunt, injuriave imperarunt, isque, cui fuit im-
peratum, aliquid injuria dedit, vel fecit, ut il-
lius imperium, metum, vel periculum effugeret,
concussionis crimen committunt. Idem ferme di-
cendum de superioribus, et potentioribus similia
imperantibus, et de privatis, qui, simulato Ma-
gistratus jussu, et terrore injecto, a subjectis ali-
quid injuria extorquent, l. 1. De concuss. l. 1.
§. 3. De calumniator. , Donell. lib. XV. Com-
mentar. cap. XL., Stryk. Dissert. *De fact. jud.*
de fact.

Hujus delicti specialem mentionem non faciunt leges nostrae: facit tamen Theodoricus, Ostrogothorum Rex, suo Edicto §. 89. ibi: *Si quis sibi, ut aliquem terreat, militiam confinxerit, vel adsumserit, quem non habeat potestatem, viliores fustibus caesi perpetuae relegationis mala sustineant, honestiores exsilio patientur incommoda.* In Codice Wifilgothorum l. 2. lib. 12. tit. 1. jubetur, *ut nullis inductionibus, executionibus, operibus, vel angariis, comes, vicarius, vel villicus pro suis utilitatibus populos aggravare præsumant... ut nullam in privatis heminibus habeant potestatem, nullaque eos molestia inquietent...* Quod si quis judicium hoc nostram transcendere constituunt, honore privatus X. libras auri fisco nostro coactus resolvat. Concussionis igitur poena hodie vel in privatione dignitatis, vel in relegatione, multe clave confistere potest, docente Carpzovio p. 2. quaerit. 90.

§. XVI.

**Stuprum
violen-
tum.**

Stuprum violentum tam feminae honestae virgini, aut viduae, quam meretrici illatum, capitale crimen est, Ord. lib. 5. tit. 18. Emin. 14. Alph. 6. Eisdem poenis afficiuntur, qui stupratori opem dederunt, ead. Ord. in fin. princ. Consensus posterior stupratae poenam non evitat, neque matrimonium cum eadem postea contractum, Ord. cit. §. 1. Non sufficit quaecumque violentia, sed talis, cui propter vitae, membrorum periculum femina non possit resistere. Quare huc non pertinent metus carceris, infamiae, reverentiae, minarum verbalium, et multo minus persuasiones licet importunae, blanditiae, assentationes, et vis levior. Hoc autem delictum quam maxime probatur per querelam, clamorem, vel ejulatum post stuprum commissum, statim judici manifestandum, Leyser. Disput. *De stupro violento* n. 4. Gothofred. ad l. 1. Cod. Theod. De rapt. Virgin. Stuprum *simplex*, hoc est, *voluntarium*, locum hic nullum habet, cum ad vim publicam, vel privatam non pertineat.

De

De stupro violento, quod majores nostri vocabant *rouso*, *roussar*, hodie *força*, *forçamento*, *forçar*, et illius per clamores, lamentationes probandi modo, speciales inter alias leges exstant Alphonsi IV. et Petri I. Alphonsino Codice lib. 5. tit. 6. relatae, quibus conjungenda Ordinatio citata, qua utimur, tit. 18. §. 3. in fin. ibi: *Bradando cada huma das ditas pessoas*, et tit. 135. §. 2. ibi: *Se alguma mulher fosse corrupta da sua virgindade por força de noute, ou de dia... e bradasse logo no dito crmo: Fosse me fez isto.* Qui feminam viri impotentem volentem flupravit, hujus criminis reus dicendus non est: adeoque aliis poenis, et extra ordinem puniendus. Idem dicendum de eo, qui mente captae, vel vino sepultae stuprum intulit, quia illud invita passa non fuit, cum nec velle, nec nolle habeat, l. 3. De reg. jur., Cald. ad l. Si *cautorem Cod. De in integr. restit. veibo: Sua facilitate n. 60. Boehmer. Element. Jurispr. Crimin. Sec. XI. cap. V. §. CXXXI. Not.*

§. XVII.

Quo jure stuprum violentum ad vim refer- Raptus
tur, eodem venit *raptus*, hoc est, *violentia*, et *quid, il-*
invita personae honestae de loco in locum abdu- *lius spe-*
cies, et
etio libidinis exercendae caussa. Raptus vel ve- *poena.*
rus est, qui in deductione personae de loco ad
locum consistit, in quo differt a stupro violento,
quod eam non requirit, vel per seductionem,
quando non vi aperta, sed dolis amatoriis,
et blanditiis talibus abducitur, quae parum a vi
distantur, Ord. lib. 5. tit. 18. §. 3. Qui
filiam familias, vel honestam feminam insanis amo-
ribus sollicitantes sive libidinis explendae, sive
imparis matrimonii contrahendi caussa, invitatis
parentibus, et in eorum veluti contemptum, stu-
praverint, tamquam raptore habentur, et raptus
poenis sine ulla abductione puniuntur Novella 19.
Jun. 1775. §. 1. Hodie Novella Constitutione. 6.
Octobr. 1784. §. 9. de stupro voluntario, et de
voluntario quoque raptu, seu *seductionis*, que-
rela, et omnis accusatio criminalis denegatur puel-
Tom. V. I lae

Iae decem supra septem annis majori ; permittitur tamen illius parentibus , tutoribus , curatoribus , et tandem fratribus . Minor autem annorum XVII. stupratorem , et seductorem , et criminaliter accusare potest , et civiliter cum eo agere non ad eam praecise uxorem ducendam , sed ad dotem pro illius qualitate , et conditione dandam ex dicta Novella : quae tamen in crimine veri raptus , et stupri violenti locum non habet ; utrumque enim capitale esse videtur ex citata Ord. lib. 5. tit. 18. in princ. et §. 3. (Tit. XI. h. lib. §. X.)

Adversus raptore virginum , vel viduarum , vel sanctimonialium singulatia multa constituta sunt Constantini Magni Edicto in l. 1. Cod. Theod. De rapt. virg. vel vid. ; quae omnia sua effecit Justinianus in l. un. Cod. eod. Novell. 141. et 150. De quibus praeclara haec habet Filangieri tom. IV. cap. L. pag. 419. : Costantino , io dico , fu l'autore della celebre legge contro il ratto , che offende nel tempo istesso l'umanità , la ragione , e la giustizio . Che un uomo violento , ed ardito stragga con violenza una fanciulla dal paterno tetto ; che violando i doveri della natura , e quelli della societa rapisca con violenza la moglie allo sposo ; che contaminando le domestiche mura porti la desolazione e l' obbrobrio nella famiglia , che le abita : che un uomo di questa natura esp̄i colla perdita della vita l' oltraggio che ha recato alla donna , alla famiglia , alla societá intera : in questo caso la ragione non potrà condannare il sacrifizio , nè piangere sulla sciagura della vittima , che s'immola al decoro de costumi , alla sicurezza publica , ed alla domestica tranquillità . Ma se la ferocia , o l'imbecillità di un legislatore confinde col ratto violento una fuga intrapresa di comune consenso ; se confonde il ratto non violento di una fanciulla col ratto violento di una moglie : se all' istessa pena destinata pel rapire armato , che non si propone altro scopo nella sua violenza , se non quello di soddisfare al suo brutale appetito , egli condanna due trasportati amanti , che non hanno altro oggetto nella fuga , che quello di render legittima la loro unione con un sacro vincolo : se ciò che la natura permette , e la sola societa condanna , è ugualmente punito di quello , che condannato viene dall' una , e dall' altra ; se , in poche parole , di tanti delitti così diversi tra loro , se ne fa un solo , con una sola legge , con una sola sanzione : in questo

to caso tutte le regole, che dirigono il potere legislativo, e determinano i limiti della sua estensione, verrebbero conciliate, e lese da una legge così feroce ed assurda. Ecco ciò che si ritrova nella legge di Costantino, rinnovata da Giuliano, ed inserita in quella misera collezione de' monumenti della sapienza, della ferocia, e dell' imbecillità de' vari legislatori di Roma. Il rapitore felice viene in questa legge condannato alle fiamme, o alle fiere. Se la vergine dichiara di aver prestato il suo consenso al rapto, lungi dal salvare il suo amante, si espone a dividerne il destino. I parenti della doncella sventurata, e colpevole sono obbligati ad accusare in giustizia il rapitore, e se, cedendo a' moti della natura, o del sangue, cercano di coprire l'insulto, e ripararlo con una legittima unione, sono essi medesimi condannati all'esilio, e confiscati i loro beni. Gli schiavi dell'uno, e dell'altro sesso convinti di aver favorito il rapto, o la seduzione vengono bruciati vivi, o condannati a spirare sotto l'orribile tormento del piombo liquefatto. La prescrizione di questo delitto non è limitata ad un determinato numero di anni, e le conseguenze della sentenza si estendono fino a frutti innocenti di questa illegittima unione. Questa è la legge di Costantino, contra la quale noi ci siamo con ragione scagliati. Plura habet auctor anonymus libri Gallici inscripti: *Histoire des révoltes arrivées dans le Gouvernement, les Loix, et l'esprit humain, apres la conversion de Constantino jusqu'à la chute de l'Empire d'Occident*, a Haye 1783. Poenae canonicae in raptore huc non pertinent: vide, sis, tamen Tridentinum Sess. XXIV. de reformat. matrim. cap. VI. Rieger Jurisprud. Eccles. P. IV. §. CLVII. et DXXVII. seq. Berard. tom. IV. Dissert. IV. cap. III.

T I T U L U S V.

De falso, et stellionatu.

§. I.

Falsi crimen vocatur, *quaelibet immutatio, Quid fal-*
vel suppressio veritatis dolo malo in alterius sum, et
fraudem admissa, et legibus speciatim, vel ge-
neratim prohibita, ac notata. Distinguendum igi-
tur est falsum a crimine falsi; quia omnis immu-
tus.

tatio veritatis, sive per mendacium fiat, falsum quidem est, sed non dicitur falsi crimen, nisi dolo sit facta, et praejudicium inde alterius sequatur. Ad crimen tamen falsi pertinet *stellionatus*, hoc est, *veritatis immutatio, vel suppressio in alterius fraudem, cui proprium deficit vocabulum, a lege non notata.* Et hanc inter crimen falsi, et stellionatus differentiam e jure Romano petitam agnoscere videtur Ordinatio lib. 5. titulis 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58., et 59., quibus de crimine falsi, et tit. 65. eod. libr., ubi separatim de stellionatu agitur.

§. II.

Falsarii qui. Veritatis immutatio, seu imitatio, uti habet Novella 73. in princ., variis modis committitur, adeoque falsi criminis variae species sunt. Illius rei dicuntur, 1) qui circa testamentum, aliudve instrumentum falsi quid fecerunt: 2) qui falsum testimonium dixerunt, vel pecuniam propterea acceperunt, pactive sunt: 3) qui insignia, et sigilla aliena alterius decipiendi caussa usurparunt, falsum partum supposuere, obsignatas alterius litteras aperuerunt, terminos finium causa positos moverunt, mensuras falsarunt, adulterinam monetam cuderunt, annonam fraudarunt, ceteri, qui, ut verbo dicam, in officio suo turpiter sunt praevaricati.

§. III.

Falsum instrumentum, et testamento, qua poena puniendum. Scriba, aut Tabellio, qui falsum instrumentum confecit, capite punitur, et bona omnia amittit fisco applicanda, Ord. lib. 5. tit. 53. in princ. Emm. 8. Alph. 38. Eadem poena afficitur pro falsitatis qualitate, et damno eadem dato, qui Tabellioni mandavit, ut falsum conficeret instrumen-

mentum, et testis, qui illud scienter subscriptisit, Ord. cit. §. 1. Qui falsum instrumentum in judicio obtulit, quamvis eo non utatur, decennio in Africam mittitur ead. Ord. §. 2., si falsitatis quoquo modo particeps fuerit, et ita intelligenda praedicta Ordinatio ex alia in Codice Alphonsi-
no cit. tit. 38. §. 1., ex qua fuit decerpta, quae pro fundamento habet legem 8. Cod. Ad Leg. Cornel. de fals. Idem praeterea caussam amittit, Phaeb. II. P. Arest. XVI. Mend. in Prax. Sae-
cul. lib. III. cap. XIX. §. III. n. 37., modo falsitatis conscius fit; nec poenam evitabit, quam-
vis se instrumentis neget uti. Qui falsum testamentum dolo malo fecit, signavit, recitavit, vel ver-
rum amovit, celavit, delevit, falsum quidem com-
mittit; hujus autem criminis cum leges nostrae
mentionem nullam faciant, illud videtur non cor-
porali poena, sed exsilio, et amissione juris,
quod ei ex testamento obvenire poterat, punien-
dum, Ord. cit. tit. 53. §. 2., et lib. 4. tit. 84.
De falso testimonio videnda, quae supra Tit. II.
§. XVIII. XIX. adnotavimus. Qui falsum quale-
cumque instrumentum dicit, in judicio ad accu-
sandum non admittitur nisi facta prius in crimen
subscriptione Ord. lib. 3. tit. 60. §. 5., quae hodie
ferme negligitur, (Tit. XIII. §. IV. h. lib.)

Falsi criminis poena pro diversis illius gradibus, mali-
tia, et praejudicio definienda est; adeoque non una esse
potest. Leges nostrae hoc crimen nec speciatim definiunt,
nec poenas certas statuunt falsariis omnibus applicandas.
Poena capitis, qua rei non nulli puniri jubentur, eo tan-
tum casu locum habere videtur, quo ex falso instrumen-
to, vel testimonio innocentis mors, vel simile aliud dam-
num, si per rerum naturam simile esse potest, fuit sequu-
tum, Brunem. ad leg. 16. De testib., Boehmer. Elem.
Jurispr. Criminal. Sect. II. cap. XXXI. §. CCCXXIX. Not.
Et ita usus servat; nam nec perjuros, nec insignes falsarios,
quibus saeculum nostrum abundat, capitis damnatos videmus.

§. IV.

Et qua
falsis
mensarisi
utentes , prata) excedit , capite punitur ; fin minus per-
cibaria
corrum-
pcntes ,
Regias
litteras
aperien-
tes , si-
gna , et
sigilla
falsan-
tes.

Qui falsis mensuris , et ponderibus utitur ,
si damnum inde datum bessem argenti (*marco de*
prata) excedit , capite punitur ; fin minus per-
petuo in Brasiliam relegatur , Ord. lib. 5. tit. 58.
Emm. 87. , Cabed. II. P. Arest. XII. Et hanc
pecuniae summam in furto requirit Ordinatio lib.
5. tit. 60. in princ. , quae ad mensurarum cor-
ruptores juris quadam analogia traducta fuit. Le-
gibus Romanis , quae hac in parte mitiores esse
videntur , qui publicas mensuras falsant , iis fra-
ctis , per Aediles dupli praestatione coercentur l.
32. Ad Leg. Cornel. de fals. l. 13. §. 8. Locat.
Eodem ferme modo puniuntur , qui cibaria cor-
rumpunt , veluti qui vinum , frumentumve cum
aqua , calce , terra , vel quavis alia re commis-
cent , quae vel saluti noxia sit , vel illius valo-
rem imminuat ad bessem usque argenti , Ord. cit.
tit. 57. , et 59. Emm. 87. Capite damnantur ,
qui Regis signa , sigilla , et Diplomata fingunt ,
Ord. lib. 5. tit. 52. Emm. 7. : exfilii autem poe-
na , et confiscatione bonorum in defectum des-
cendentium , et ascendentium , qui civitatis , ma-
jorum Judicum , et Tabellionis publica signa , et
sigilla corrumpunt , ead. Ord. §. 1. Qui litteras
ad Regem , Reginam , Principem , vel ad alias
missas solverit , vel Regis sigillo munitas , modo
capite , et exfilio damnatur , modo confiscatione
bonorum , et flagellationibus pro illius condicio-
ne , et praejudicio in primis earum apertura da-
to , Ord. lib. 5. tit. 8. Emm. 80.

§. V.

§. V.

Partum alienum supponentes, publicatis bonis, perpetuo in Brasiliam relegantur, Ord. lib. 5. tit. 55. in princ. , quae singularis est; concordantem enim, quam sciām, in antiquis Codicibus non habet. Quia vero uxor statim, non exspectata pubertate, a marito tantum accusari potest, et, eo mortuo, ab heredibus testamentariis, vel legitimis; sententia criminalis adversus eamdem, maritumve, vel utrosque lata pupillo nec prodest, nec nocet: itaque quaestio civilis status ad pubertatis tempus differenda est, Ord. cit. §. 2., Phaeb. II. P. decis. 121. Vallasc. allegat. 13. a n. 50. , l. 1. et tot. tit. De Carbon. Edict. Iure Romano hoc crimen ob illius nimirum frequentiam, ceu patet exemplis a Valerio Maximo lib. IX. cap. XVI. , et Petro Gregorio de Republ. lib. XIV. cap. I. n. 8. ductis, capitale esse videtur l. 1. Cod. Ad Leg. Cornel. de falf. Qui terminos finium caussa positos movent, evertunt, exarant, et quomodocumque transponunt, Patriis legibus e Romanis deductis biennio in Africam relegantur, Ord. lib. 5. tit. 67. Emm. 95. Alph. 60. , l. 2. 3. De term. mot. (Inst. Jur. Publ. Tit. VII. §. XIV.)

Facile autem credendum non est uxori, qui ad suam licet conscientiam exonerandam fatetur alienum partum suppositum, aut non ex marito filium conceptum. Habet quidem vim aliquam ista matris professio etiam extrajudicialis, per quam animi recondita aperiuntur, l. 39. §. 1. De legat. 3.; sed non tantam, ut probationem plenam faciat: eliditur enim contraria prae sumptione, quae ex educatione, diutina habitatione, et ex quasi possessione filiationis resultat. Et hanc sententiam uti veriorem in utroque foro tuerunt Covarruv. in cap. Peccatum I. P. Menoch. lib. VI. Praef. 53. Anton. Perez. ad tit. Cod. Ad leg. Cornel. de falf. n. 27. (Inst. Jur. Civil. Lusit. lib. II. De Jur. Personar. Tit. VI. §. II.)

Falsum
partum
suppo-
nentes,
terminos
moven-
tes.

§. VI.

§. VI.

Anno-
nam
fraudan-
tes.

Falsum quodammodo committunt publicam annonam fraudantes , et tales dicuntur , 1) qui frumentum , vinum , oleum in eodem loco emunt , et vendunt : 2) annonam sine judicis licentia exportantes : 3) frumentum minoris ementes , ut carius divendant : 4) qui coemptas merces supprimunt in reipublicae detrimentum : 5) qui fructus suos aequis pretiis vendere nolunt , dum ubiores proventus exspectant : 6) qui ad caritatem mercium procurandam plus aequo , collusione interveniente , offerunt : 7) qui mesles immaturas , aut fructus *in herbis* ob metum caritatis sibi coemunt , cet. , qui omnes mercium in duplum amissione , et exsilio in Africam coercentur , Ord. lib. 5. tit. 76. , et 77. Emm. lib. 4. tit. 32. §. 1. et 2. Extravag. apud Leon. p. 4. tit. 9. , et in novissima Collect. ad eamd. Ord. tit. 76. , Stryk. De dardanar. cap. II. et IV.

Annonaria negotiatio tot objectis citatis Ordinationibus impedimentis fere omnino prohibetur , vel saltem plus aequo restringitur : itaque magis annonam vexant , et illius caritatem promovent , quam abundantiam : opponuntur deinde et civium proprietati , et negotiandi libertati. Quae duo si prudenter , et ut oportet fuerint composita , et publicae saluti attemperata , facile praefatis legibus carere poteramus. Vid. Filangieri tom. IV. cap. XLVII. tit. IV. , l'As. Genovesi delle Lézioni di Commercio P. I. cap. XVII. , et cap. XVIII.: *Sulla libertà dell' Annona* , Inst. Jur. Publ. Lusit. Tit. VII. §. XIII. Not. et lib. IV. De oblig. et act. Tit. III. §. XXVI. Romanorum de annona leges , ex quibus nostrae ferme sunt excerptae , referre nihil vacat.

§. VII.

Falsum
numma-
rium,

Gravissimum autem omnium est falsae monetae crimen , et talis dicitur quaecumque privata auctoritate cuditur , quamvis ex bona , et probata materia cudatur , et justo pondere constet , Ord. lib.

lib. 5. tit. 12. in princ. Emm. 6. Alph. 5. §. 7. Qui igitur monetam ex metallo licet legibus probato propria auctoritate signavit, bona omnia filio amittit, et igne vivus cremari jubetur Ord. cit. Eadem poena afficiuntur socii criminis. Qui veros nummos expendunt, radunt, corrumpunt, vel falsis scienter utuntur, perpetuo in Brasiliam exilio, et bonorum amissione coercentur, et poena demum capit is, si imminutio facta mille nummorum valorem excedit, ead. Ord. §. 3. 4. Emm. §. 5. 6. Alph. tit. 82. §. 1. Hodie Novellis in nova Collectione ad dictam Ordinationem inseritis nummos quoque radentes, et quoquo modo corrumpentes vivicomburio plectuntur. Eosdem dissolventes dimidium bonorum amittunt, et decennio in Africam relegantur Ord. cit. §. 5. Eamdem poenam incurunt, qui antiqua nummisimata, statuas, cippos dissolvunt, vel corrumpunt ex Joannis V. Diplomate 20. Aug. 1721. apud cit. Ord. Collect. I. N. V. (Inst. Jur. Publ. Tit. VIII. §. XXXII.) Cabed. II. P. Decif. 45. Val-lasc. Allegat. 13. a n. 38.

Qui adulterinos nummos conflaterit ex viliori materia, plus certo peccat, et magis commercium tam internum, quam externum offendit, quam is, qui ex bona materia nummos edidit, expendit, radit, dissolvit, vel falsis scienter utitur: itaque haec crimina, cum diversa sint, diversis poenis puniri debent, et inter se distingui, ac separari. Ea tamen nec lex ipsa Cornelia, quam Cicero in Verr. Orat. VI. §. XLII. testamentariam, et nummariam vocat, nec Imperatorum Constitutiones, nec Visigothorum, et similium leges, neque nostrae, quae Romanas posteriores pro fundamento habent, satis accurate distinxerunt. Quod vero fallus monetarius illico omni dilatione summota flammrum exustionibus mancipetur, a Constantino primum constitutum fuit in l. 2. Cod. De falf. monet., et inde in nostras, et reliquas Europae leges derivatum. Crudelis autem haec poena ab optimo alioquin Principe ea potissimum ratione indicta fuit, quia sibi perlausum habuit monetas
Tom. V. K adul-

adulterantes laesae maiestatis veros reos esse : tales autem non sunt , nisi nummos cudant in illius contemptum , non propriae utilitatis causa , ut plerumque sit . Plurima hinc singularia consequuntur : 1) ut criminis hujus probatio per tormenta haberi possit , Ord. cit. §. 2. ; 2) ut illius suspectos omnes revelare , ac denunciare teneantur , quibus propterea et venia delicti , et praemium conceditur §. ult ; 3) ut domum suam , in qua cusa fuit moneta dominus ignorans etiam amittat , si in proximo constitutus sit , viduis , et impuberibus exceptis Ord. cit. §. 1. , deducta ex ipsius Constantini Imperatoris constitutione in l. 1. Cod. de falsi monet. : cetera , quae in laesae maiestatis criminibus speciatim sunt constituta , quae hodie non omnibus placent , Lock de monet. , Montesquieu *Esprit des Loix* Lib. XXII. , Filangieri tom. IV. tit. IV. Poena vivicomburii jam certe in usu non est , nec esse debet ; ea enim facile reus in desperationem adigeretur , ac ita non minus animae , quam corporis iacturam faceret : quod impium effet , ac inhumanius , prout bene ait *Perezius* ad tit. Cod. De falsi. monet. n. 10. in fin. Et ex humaniorum Interpretum sententia non capite , sed fustigationibus , exilio , vel confiscatione bonorum damnantur , qui propriamente auctoritate nummos probos cudunt , vel eos expendunt , radunt , tingunt , vel eosdem reflant , ac resolvunt . Boehmer. Elem. Jurispr. Crim. Sect. II. cap. XXXII. §. CCCXXXVII. , Stryk. *U. mod.* ad tit. De leg. Cornel. de falsi. §. VI. (Inst. Jur. Publ. Tit. VIII. §. XXXII.)

§. VIII.

Nomina
mutan-
tes , vel
cognomi-
na.

Qui in fraudem alterius novum sibi nomen ; aut cognomen assumit , poena falsi coeretur , Papin. l. 13. De leg. Cornel. de falsi. , Paul. lib. V. Sent. tit. 25. ; veluti si cum alio contrahens vocet se alio nomine , vel cognomine , quam quo utitur , ut ex contractu postea conventus excipere possit se non eum esse , qui in instrumento dicatur promisisse . Item qui se pro milite , vel Barone gessit , vel illicitis insignibus usus est , vel falso diplomate vias commeavit , pro admissa qualitate gravissime puniendus est , Modest. l. 27. §. 2. ff. eod. Falsum tamen hoc tolerandum , si dolus malus absit , et alterius fraus ; nam uni-

cui-

cuique licitum est nomen mutare , et cognomen
 I. un. Cod. De nom. mutat. : quinimmo sole-
 ne et adoptatis , et manumissis , et civitate do-
 natis , adoptantis , patroni , et donatoris nomen as-
 sumere , Rudolph. Forner. Rer. Quotidianar. lib. V.
 cap. XVII. apud Otton. tom. II. Thes. Jur. Rom.
 pag. 269., ubi multa exempla ex ethnicis , ec-
 clesiasticisque Scriptoribus refert. Jure nostro qui ,
 repudiatis falsarum circa Religionem opinionum
 commentis , ad Ecclesiae sinum revertuntur , no-
 mina quaevis , cognomina , praenomina libere
 assumere possunt , Ord. lib. 5. tit. 92. §. ult.
 vers. *Porem* , deducta ex speciali Emmanuelis
 Ordinatione 31. Mart. data ann. 1520. , quae
 illius Codice refertur lib. 2. tit. 37. Simplex igit
 tur nominis , cognominis mutatio , et usus scu-
 ti gentilitii alieni tolerari potest , et vix poenis
 externis coercendus in foro criminali , modo ma-
 la fides absit , et nullum inde detrimentum re-
 publica , aut privati capiant ; et ita intelligendae
 Ordinationes cit. lib. 5. tit. 92. Emm. 37. lib. 2.

Ad facialis Principem , quem dicimus *Rey d'armas Por-*
tugal , a Joanne I. creatum , Ferdin. Lop. illius Chron. p.
 2. cap. 39. , pertinet scuta gentilitia formare , figuracue
 eidem expressas componere , et interpretari ad modum
 Regiminis ab Emmanuel Rege eidem dati.

§. IX.

Falsum committit , qui se aquis baptismatis
 abluendum dedit , ut lustricam pecuniam recipie-
 ret , vel lucri cuiuscumque temporalis caussa , quod
 a vagabundis praeferunt non semel admissum vi-
 demus , Stryk. *Uf. mod.* De leg. Cornel. de falsi.
 §. 2. in fin. Poena hujus criminis , quod ad va-
 rias classes reduci potest , legibus nostris , defi-
 nitia non est , sed Romanis ; illud autem graviter
 puniri debet , mitioribus tamen poenis , quam quae
 habentur lib. I. Cod. tit. 6.: *Ne sanctum baptif-*

Pretio se
 baptisfan-
 tes , iti-
 pem
 emenita
 caussa
 emendi-
 cantes ,
 fumum
 venden-
 tes , id
 est , ami-
 citias
 Princi-
 pis , Po-

tentio-
rum, Ju-
dicum
mentien-
tes. *ma iteretur.* His proximi sunt mendici validi in-
firmitatem simulantes, vel fortuitum casum incen-
dii, morbi, et cert. mentientes ad publicam stipem
eo facilius emendicandam, Matth. lib. XLVIII.
tit. VII. cap. I. n. 17., Edict. 25. Jun. 1760. §.
18. 19. Huc etiam spectant *fumi venditores*, qui
legibus Romanis pro modo delicti relegantur, vel
capite puniuntur, Paul. Sent. lib. V. tit. 25. §. ult.
Et tales dicuntur, qui de Principis, vel ejus Ad-
ministrorum, Judicisve amicitiis, vel familiaritate
mentientes, negotiorum, et litium eventus ven-
dunt, promittunt, quidve obtentu nominis eorum
agunt. De falso hujus generis, seu mendacio, uti
Paulus vocat, plura legere est apud Libanum Ora-
tione: *Adversus adsiduos apud Magistratus*: quam
cum quibusdam aliis publicae luci dedit Jacobus Go-
thofredus. Inter mala tempore Commodi a Lam-
pridio in ejus vita cap. XIV. hoc ipsum refertur:
Vendiderunt sub eo etiam eventus litium liberti.
Videnda Ordinatio lib. 5. tit. 83., ubi Barbosa,
Emm. tit. 70. §. 1.

§. X.

De pae-
varica-
tione. Species quaedam falsi est *praevaricatio*, quam
committunt non solum accusatores, qui reum *pro-
dita caussa adjuvant*, ut *absolvatur*, verum
etiam qui quomodocumque in gratiam alicujus,
et dolo malo ab officio suo deflectunt, veluti
Advocati, Procuratores, Judices, cert. l. i. in princ.
et §. 7. l. 3. §. 3. De *praevaricat*. Qui cum reo
colludit, ut *absolvatur*, jure Romano eadem poe-
na afficitur, quam reus sustinere debuisset, l. 6.
De *praevaricat*. Hujus collusionis jus nostrum spe-
ciatim non meminit; requirit tamen in favorem
rei actoris in crimen subscriptionem in omni caus-
fa criminali, vel saltem in falsi instrumenti accu-
fatio-

fatione ex Ord. cit. lib. 3. tit. 60. §. 5. Quia vero hodie inscriptionis, et processus accusatorii rarus usus est, publici delatores, Advocati, Procuratores, Judices praevaricantes tam in caussis criminalibus, quam civilibus damni dati restituzione, et in expensis in simplum, duplum, vel triplum pro praevaricationis qualitate sine ulla poena corporis afflictiva damnantur Ord. lib. 5. tit. 118. Emm. 43. Alph. 29.

Praevaricationis vocabulum, quatenus eos comprehendit, qui officio suo quoquo modo desunt, generale est, et criminis omnia complectitur; sed vero speciatim tribuitur iis tantum, qui a munere officioque speciali, cui adstricti sunt, divertuntur: et hoc sensu praevaricatio delictum *speciale*, seu proprium in differentiam *communis* dicitur. Quo spectant 1) caupones eos non denuntiantes, quos in tabernis suis receperunt, Dipl. 25. Jun. 1760. §. 12. : 2) chirurgi vulnera similiter non deferentes: 3) delicta militaria severioribus fortasse poenis, quam par est, et nostrorum militum ingenia nobilitas depositis, punita Regimine equestribus, pedestribusque copiis dato a Comite *Scoumbourg Lippe*, cui legis vigorem attribuit Josephus I. Regii Diplomaticis 18. Febr. 1763. et 25. Aug. 1764.: 4) maritima, Ord. lib. 5. tit. 97. Emm. 98., et cetera, quibus referendis otium non est.

§. XI.

Repetundarum crimen, a repetendis pecuniis injuste a Magistratibus extorsis dictum, Sigan. De jud. II. n. 17., falso simillimum est, ab eoque quam maxime majores nostri semper abhoruerunt, ceu patet ex diversis Dionysii, Alfonsi IV., Petri I., et Ferdinandi legibus, quas referre inutile prorsus esset, et prolixum, uti jam suo tempore existimavit Alfonsus V. suo Codice lib. 3. tit. 128. §. 1. Hodie Judices cujuscumque ordinis, Officiales justitiae, vel Regii patrimonii, munera quaecumque recipientes a suis provincia-

De pecuniis repetundarum.

libus, et subditis, officio, et dignitate privantur, et viginti accusatori, et fisco applicanda pro singulis acceptis muneribus solvere jubentur Ord. lib. 5. tit. 71. Emm. 56. Alph. 31. eod. et lib. 3. tit. 128. Excipiuntur cognati proximi, et amici intimi, a quibus munera accipere licet Ord. cit. et lib. 2. tit. 49. §. 4, esculenta, et pocula-ta, quae intra paucos dies usu consumuntur, Phaeb. II. P. Decis. 110. Nam in totum a xeniis abstinere non debent judices, sed modum adjice-re; vetus enim proverbium est, ὅτε πάντα, ὅτε πάντοτε, ὅτε παρὰ πάντως, id est, neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus, l. 6. §. 3. De offic. Procons. A litigatoriis quaevis munera accipientes bonorum, et officii amissione, et exsilio puniuntur, et capite damnantur, si do-num acceptum duos argenti besses excedat, Ord. tit. 71. §. 1. Hujus autem criminis non solum accipientes, verum etiam dantes rei sunt, qui propterea et causa cadunt, et propria bona in fisci, et accusatoris favorem applicanda, officia, et bona omnia a Rege habita amittunt, Ord. cit. in princ. et §. 4., l. ult. Cod. Ad leg. Jul. re-petund. Vide, sis, Platon. de legib. Dialog. XII.

Graviter peccant judices, qui vel se corrumpi patiun-tur, vel obtentu officii aliqua a civibus exigunt, vel tpon-te oblate recipiunt ante, vel post suscep-tum judicium. Sed vero haec crimina, cum non eamdem malitiam ha-beant, diversis poenis pro illius gradu, et lucri accepti quantitate coerceri debent; praecipue autem distingueda causa civilis a criminali, Nam qui ob hominem necandum pecuniam accepit, vel, licet non acceperit, innocentem, vel quem punire non debuerat, condemnavit, capite plecti debet, vel certe in insulam deportari ex sententia Macri in l. 7. §. ult. De leg. Jul. repetund. Homicidii quoque reus est judex, qui reum vi, dolo, vel ignorantia ad cri-minis capitalis confessionem adegit, Wolf. tract. *De judi-ce homicida.*

§. XII.

Qui, conductis, corruptisque suffragiis, magistratum, aliumve honorem invadunt, crimen *ambitus*, quod falsi quaedam species est, committunt: et centum aureis cum infamia puniuntur l. un. ff. De leg. Jul. ambit. Cessat haec lex in Monarchia; *quia ad curam Principis magistratum creatio pertinet, non ad populi favorem.* Habet tamen locum in municipiis, et in ipsa quoque civitate, ubi honores aliorum suffragiis conferuntur: itaque in eam committunt, 1) quicunque judices, et munerum publicorum datores largitionibus corrumpunt; *ingentes enim divitiae judiciorum religionem, veritatemque solent perfringere,* Cicer. Orat. V. in Verr. §. I. : 2) qui honores ambient, quibus idonei non sunt; 3) vel eosdem, quamvis sint capaces, petunt malis artibus, ad eosque consequendos quid pollicentur Principum Administris (§. XI.), Novell. 8. et 124., qua revocata videtur lex un. Cod. De suffrag. Quae omnia apud nos obtinent; cum enim legibus nostris Judices omnes, et Officiales ante officii provisionem jurare teneantur nemini se quidquam dedisse, aut promisisse, quo ad illud pervenirent, Ord. lib. I. tit. 67. §. 15. Emm. tit. I., ubi hujus jurisjurandi formula invenitur deducta ex l. ult. Cod. Ad leg. Jul. repetund.; facile patet ambitus reos esse, quicunque propriae imperitiae concii suis opibus, vel amicorum potentia confisi honores petunt. Jam vero (proh dolor!) hoc crimen, cuius jus nostrum speciatim non meminit, fere ubivis impune admittitur. Impunius autem admittitur ambitus circa officia, et honores ecclesiasticos, quem *simoniam* dicimus, civilibus, et canonicis legibus graviter prohibitus

-5000-
-5001-
-5002-

tus, l. un. §. 1. De leg. Jul. ambit. l. 31. Cod. De Episc. et Cleric. et tot. tit. 10. lib. V. Decretal., et passim, Van-Esp. Dissert. Can.: *De leg. Jul. ambit.*, seu de probibita officiorum venalitate.

Quod in l. un. Cod. De suffrag. dicitur, licitum esse non solum pretio tentare suffragia eorum, qui circa latus Principis degunt, verum et his si quid promissum deberi, illudque ab eis peti posse conditione certi ex suffragio, indignum prouersus est, et turpiter dictum, a Justinianoque postea revocatum lege Julia tandem ab eodem ut videtur restituta Novella 8. 124. et 161. De imperitis, et ambitionis, qui, prout Imperator loquitur cit. Novella 161., officia redimunt potius, quam suscipiunt, et de Principum Administris, qui, neglectis veris virtutibus, eos solum promovent, quos favor, sanguis, vel affectus commendat: quo sit, ut imperitis, et indignis asinis officia occupentur, qui officia dedecorant, rempublicam vexant, et perdunt: cum multi contra reperiantur viri docti ob sui neglegitum mendicantes, fame, squalore, contemptaque sui, et penuria rerum saepe perirentes, et obscuri internorientes, qui soli suis, naturae, divinisque dotibus in republica christiana multum prodesse potuerint, nisi inde fuissent remoti ab istis asinis, videndus inter alios Groeneweg. De legib. abrog. ad tit. ff. De leg. Jul. ambit., Anton. Matth. de criminib. lib. XLVIII. tit. XI. cap. II. n. 3. Verum igitur omnino est, et civilibus omnibus societatis applicandum, quod de Roma quandam Jugurtha praedixit: *O urbem venalem, et cito perituraem, si emporem invenerit!*

§. XIII.

De receptato-
ptatori-
bus.

Receptatores, qui latrones, vel aliorum criminum reos domo sua, possessione, vel cauponam publicam scienter recipiunt, et occultant, vel eiusdem refugium praestant, perinde puniuntur ac ipsi latrones, vel facinorosi, quos receperant, Ord. lib. 5. tit. 105. Eimm. 71. deducta ex Dionysii lege Olisipone data 9. Aug. aer. 1351. apud Ord. Alph. eod. lib. tit. 100. Quae tamen eo tantum casu intelligenda, quo appareret receptatores socios criminis esse, vel participes, societate ante illud

illud commissum contracta ex l. 1. Cod. De his, qui latron. vel alior. crimin. reos occult. Nam *complices*, quales sunt simplices receptatores, minus quam *agentes puniendi* (Tit. I. §. X.). Omnia autem mitissime puniri debent, qui cognatos, vel adfines receperunt; *non enim pars est eorum delictum, et eorum, qui nihil ad se pertinentes recipiunt*, ut bene ait Paulus in l. 2. ff. De receptatorib. Excusandi omnino, qui parentes, filios, maritum, uxorem receperunt, *Filangiéri* tom. IV. cap. XLVII. tit. I. Not. (Tit. XIII. §. XXX. n. 7. h. Lib.). Qui nocentes quidem noscunt, eos tamen non recipiunt, sed occultant, hoc est, Magistratibus non indicant, nullis in foro poenis subjiciuntur l. 48. §. 1. De furt., cum nemo alium accusare, vel denunciare invitus cogatur, l. un. Cod. Ut nemo invit. ag. vel accus. Simplex igitur occultatio sine receptione crimen non est, quod legibus civilibus modo ordinario coerceri possit: itaque Martiani constitutio in l. 2. Cod. De his, qui latr., vel alior. crimin. reos occult., et Ordinationes citatae, Alphonsi IV., Ferdinandi, et Joannis I. leges, ex eadem decerpae, quae poenas certas iis statuunt, qui nocentes occultant, nec judicibus offerunt, de occultantibus simul et recipientibus videntur accipiendae.

Athenis, qui exsulem, vel quemvis hujuscemodi fugitivum receperit, in exsilium mittebatur, Demosthen. in Polyclem. Multo severiores Platonis leges, quae recipientem capitatis damnabant; *quippe quem civitas amicum sibi, vel hostem decrevit, eundem sibi quisque similiter existimare debet*, Plat. de legib. Dialog. XII. Humaniores sunt nostre leges supra citatae apud Ord. Alph. lib. 5. tit. 100.

§. XIV.

Stellionatus rei sunt (Lusitane bulroes e illigadores), quicumque in contractibus improbissimas fraudes committunt; quas recensere nemo potest, infinitis enim modis variare solent: adeoque hujus delicti poena non semper eadem esse debet. Illius exempla habentur Ord. lib. 5. tit. 65. Emm. 65. Alph. 89. eod. Poena ibidem definita est multa pecuniaria, et relegatio ad tempus. Differentia inter faltum, et stellionatum juri Romano originem suam debet (§. I. h. Tit.).

§. XV.

*An causa
civilis,
falsi ac-
cufatio-
ne obje-
cta, prius
termi-
nanda?*

Non debet autem (quod hic in transcurso notandum) mora fieri civili caussae per interjectionam falsi accusationem. Quare si ex testamento legatum, vel ex chirographo pecunia credita pertinetur, quamvis falsi crimen adversus hujusmodi instrumentum objiciatur, civilis caussa prius terminanda est secundum instrumentum probatum; non obstante falsi quaestione objecta. Injuria enim non minima fieret petitori pro jure suo tuendo instrumentum auctoritatis proferenti, si praetextu objectae falsitatis caussa principalis, et judicium civile, quoad criminale finitum esset, suspenderetur. Falsi tamen coepit accusatio intra annum omnino exsequenda est; et ita, jure antiquo abrogato, a Constantino speciali constitutione, quae habetur in l. 2. Cod. Theod. Ad leg. Cornel. de falsi constitutum invenitur.

Regula juris antiqui, quod crimen falsi, quia dignior, et major caussa est, prius quam principalis, et civilis terminetur, tot. tit. Cod. De ordin. cognit. a Constantino praefatae constitutione fuit abrogata, qua illud etiam pruden-

denter constitutum, ut institutae falsitatis accusationi finienda annus tantum concedatur, Gothofred. ibid., Cujac. lib. XX. Observat. cap. XXV. Apud nos, lege scripta cessante, Constantini constitutio fere in foro servatur, et causa civilis vel omnino ante criminalem expedienda est, vel saltem judex utramque una sententia terminare debet, Phaeb. II. P. Arest. 121. Praxis hic et ubique non sibi constat (Inst. de obligat. et act. Tit. XVIII. §. XII. Not.).

TITULUS VI.

De furtis.

§. I.

Furtum et Romano, et Patrio jure est *confiditatio fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere*, §. I. Inst. De obligat. quae ex delict. nasc., Ord. lib. 5. tit. 60. §. 8. *Contrectatio est aelus, quo quis rem, quae in alterius est dominio, aut possessione, ad se trahit manu, eamque loco movet cum effectu*, Everard. Ott. ad §. I. Inst. De obligat. quae ex delict. nasc.

Fur est, qui rem alienam aufert, et qui eam contrectat, de eaque disponit contra, vel praeter domini voluntatem, quamvis eamdem a principio de illius consensu haberet. Et haec est juris Romani, et Patrii sententia, Blackstone Commentair. sur les Loix Angloises tom. VI. cap. XVII. Cremano, et aliis fur non est, qui rem alienam detinet, vel eademi utitur, domino invito, sed is tantum, qui eamdem abstrahit, ab initio inscio, vel repugnante domino.

§. II.

Furtum rei facit, qui rem mobilem, et liberum hominem, et servum contrectat; usus, commodatarius, et depositarius, qui re deposita, et Rei, usus, possessoris.

L ii com-

commodata utitur aliter quam dominus vult; *possessionis*, debitor creditori suo pignus surripiens, et creditor, qui sibi tamquam dominus possidere pignus incipit, ceteri, quorum meminit Ordinatio lib. 5. tit. 60. §. 8. Eam. tit. 37. §. 10.

§. III.

Conse- Itaque furtum juris sensu sine contrectatione
staria ex fraudulosa lucri faciendi gratia non datur (§. I.).
furti de- Et hinc consequitur, 1) ut non cadat in res im-
finitione. mobiles, quae de loco ad locum moveri non pos-
 sunt: 2) ut sola cogitatio furtum non faciat l. I.
 §. 1. de furt: 3) ut qui furti faciendi caussa
 conclave intravit, nondum fur sit, nec furti poe-
 nis, sed aliis subjiciat, quamvis furandi caussa
 intraverit, l. 21. §. 7. eod.; nec 4) is, qui rem
 alienam fregit, et rupit, l. 22.; vel 5) ancil-
 lam libidinis caussa rapuit, l. 39. l. 82. §. 2. eod.;
 vel 6) tabulas veritatis tollendae caussa amovit,
 et surripuit, l. 16. De leg. Cornel. de fals.; nec
 demum 7) is, qui in extrema, gravive necessi-
 tate modicum quid contrectavit, Grot. de jur.
 bell. ac pac. lib. II. cap. II. §. VI., Thomas.
 Jurisprud. Divin. lib. II. cap. II. n. 170. cum seq.
 Quae omnia jus nostrum, et mores probant. Qui
 vero rem furtivam scienter emit, occultat, opem,
 et auxilium latroni praefstat, vel consilium spe-
 ciale dat, ex quo furtum sequutum, fur est, §. II.
 Inst. de obligat. quae ex delict. nasc., Ord. lib. 5.
 tit. 60. §. 5.; rem enim ipsam *moraliter* contre-
 stavit.

§. IV.

Furti di- Dividitur furtum in *manifestum*, et nec ma-
visio. nifestum, *conceptum*, *oblatum*, *prohibitum*, et
non exhibitum, in *nocturnum*, vel *diurnum*,
sim-

JURIS CRIMINALIS LUSITANI. 6 85
simplex, vel *qualificatum*. Quae divisio ad fur-
ti poenam majorem, vel minorem infligendam
pertinet, non ad illius substantiam.

§. V.

Dicitur furtum *manifestum*, quando fur in ^{Furtum} *manifestum*
ipso furto, antequam eo perveniat, quo rem de-
ferre decreverat, acclamando, vel accurrendo fuit
deprehensus: *nec manifestum*, quando deprehens-
sus non fuit, l. 3. in princ. et §. 1. l. 8. De furt.
Non sufficit solus visus, nisi sit cum clamore con-
junctus, cuius haec, vel similis formula erat: *Quo*
te proripis? Tene Pene! Tenete furem! Preben-
de furem! Petron. cap. 139. Cujac. lib. XI. Ob-
servat. cap. XXXVIII.

Gravius jure Romano punitur fur *manifestus*: cum auda-
cior sit, qui in patrando palam faciore aliquos non extimescit.
Accedit etiam, quod domini vigilantia in rebus suis servandis
majore lucro compensanda videtur, Cujac. lib. XIX. Ob-
servat. cap. 12. Leges nostrae, ad poenam quod attinet,
nullam differentiam constituant inter furem *manifestum*.
et nec *manifestum*: utrumque autem unusquisque cum cla-
more, vel sine comprehendere potest, Ord. lib. 5. tit. 60.
§. 7.

§. VI.

Conceptum dicebatur, quando res furtiva sol- ^{Conce-}
lemni ritu per *lancem* et *licium* quaesita apud ^{ptum,}
aliquem, qui furtivam eam esse sciebat, inventa prohibi-
est, §. 4. Inst. De obligat. quae ex delict. nasc., ^{tum, et}
Wielingius *de furto per lancem et licium: conci-*
pere enim furtum erat testibus praesentibus rem fur-
tivam invenire, capere, et comprehendere. Obla-
tum, quando res furtiva ignorantis oblata apud ^{non exhibi-}
eum invenitur. *Prohibitum*, quando quis furtum
solemniter quaerere volentem prohibuit. *Non ex-*
hibitum, quando quis furtum apud se inventum
exhi-

exhibere recusavit, dict. §. 4. Quatuor haec furti genera jam in usu non erant tempore Justiniani, cum requisitio rei furtivae secundum veterem observationem non fieret.

Hodie nec sollemnis, nec privata rerum furtivarum inquisitio admittitur: eam tamen Visigothi adnittebant, modo quis apud judicem qualis res sit profiteretur. Vide, sis, lib. VII. tit. 2. l. 1., ubi praecipitur, ut qui rem furtivam requirit, quid querat, judici oceulite exponat; ut ostendat per manifesta signa quid perdidit: ne veritas ignoratur, si non evidencia signa monstraverit.

§. VII.

Nocturnum similiter, et *diurnum* naturam furti non mutat, nec poenam; utrumque enim eodem modo punitur. Eo autem jure, quo olim Judaei, Graeci, et Romani utebantur, qui impune patiebantur furem nocturnum occidi, diurnum non aliter, quam si telo se defendisset, eodem hodie uti licet, perpetua enim illius ratio est, Boehmer. Elem. Jurispr. Crim. Sect. II. cap. XIII. §. CLXXXV., Grot. de Jur. bell. ac pac. lib. II. cap. I. §. XII., Pufendorf. de offic. hom. et civ. lib. I. cap. V. §. XXI.

§. VIII.

Simplex, quod ad *qualificatum* referri negat, quale est *violentum*, *magnum*, *tertium*, et in *re sacra*, vel in *loco sacro* perpetratum, quod sacrilegium audit. Simplex igitur furtum dicitur, quod capitale non est, in quo a *qualificato* differt.

§. IX.

§. IX.

Furtum *violentum* committitur, quando *res mobilis per vim personae illatam animo lucri faciendi intervertitur*. Quare non pertinet ad *Furtum violentum, et poena.* personas, quarum contrectatio in crimen raptus, vel plagi incidunt, nec ad res immobiles, in quibus non proprie *rapina*, sed *spolium* cadit, §. 1. Inst. De vi bonor. raptor. : quam differentiam e jure Romano petitam jus nostrum agnoscit Ord. lib. 4. tit. 58. et lib. 5. tit. 61. *Rapina* in via, itinere publico, vel locis desertis commissa, quae centum regalium (*cem reis*) valorem aequaverit, vel mille regalium in urbe, municipiove frequenti, ultimo suppicio punitur, Ord. dict. lib. 5. tit. 61. Emm. 38. Rapinam igitur non solum vis personae illata graviorem reddit, verum etiam rei quantitas, et locus.

Latrocini, et praedas agere in externos, nullo bello indicto, apud omnes fere gentes pro licito habebatur, quod de Lusitanis, ut alios populos omittam, testatur Diodorus Siculus lib. V. cap. XXXIV. An vero is, qui vi rapit, peior sit fure, qui clam aufert, in utramque partem disputari posse ex Aristotele, et Maimonide ostendit Grotius Flor. Spars. ad tit. De vi bonor. raptor. At raptor magis certe laedit pacem, et fure audacior est: quare *re-ate improbior fur* appellatur in l. 2. §. 10. eod., et *atra-
cior* in l. 1. §. 1. De effractorib. Alphonsi III., Dionysii, et Joannis I. in raptore leges habentur Ordinatione Alphonisina lib. 4. tit. 65. et lib. 5. tit. 27. et 66. Grasfatores viarum, qui ferro instructi praedae caussa obvios in itineribus non semel adgrediuntur, et spoliant, jure Romano capite puniuntur l. 28. §. 10. De poen.

§ X.

Qui rem immobilem invadit, vel mobilem *spolium*, aufert, quam suam esse credebat, quamvis nec *plagium*, *raptus.*

verus raptor sit, nec fur, cum id non faciat animo lucrandi; tamen, quia nihil aliud adeo juri iniurium est, quam vis, dominus rem suam, quae ab alio detinetur, surripiens, illius dominio privatur: si autem aliena res est, post ejus restitucionem domino in solatium injuriae, quam passus est, statim faciendam, omne damnum spolii occasione datum sarcire tenetur Ord. lib. 4. tit. 58. Emm. 50. Alph. 65., §. 1. Inst. De vi bonorum raptor. (Tit. IV. §. XII.). *Plagium*, hoc est, *liberi hominis contrectatio*, vel *alieni servi suppressio*, *celandi hominis*, vel *libertatis opprimenda gratia*, grave delictum est, sed rarum apud nos, neque Ordinationes, quibus utimur, illius speciatim meminerunt: videnda tamen Ordinationes lib. 5. tit. 62. in princ. tit. 63. et 95. Emm. 68. 77. Alph. 92. 113., Gothofr. ad tit. Cod. Theod. *De lege Fabia de plagiariis* (§. II. et III. h. Tit.). De raptu mulierum non nulla diximus Tit. IV. §. ult.

Differentia, quam jus Romanum, et Patrium statuit res inter mobiles, et immobiles, ad furtum quod attinet, et rapinam, magis subtilitate, quam ratione niti videtur.

§. XI.

*Qualis
violentia
rapinam
consti-
tuat.*

Quae autem vis rapinam constitut, legibus nostris definitum non est. Ego vero eam requiri existimo, quae cum vitae periculo conjuncta sit, et cui non facile resisti possit: nec quidquam interesse arbitror armis, vel sine sit commissa; modo contrectatio sequatur, et *vis ablativa*. Quare non sufficit mere *compulsiva*, ut vocant, nec *sim-
plices persuasiones*, nec *minae* de malo futuro, quae magis ad concussionem pertinent, nec solus rapiendi animus. Itaque qui alterius aedes furandi,

di, rapiendive animo per vim ingreditur, si rem furatus non est, neque fur, neque raptor dicendus, l. 52. §. ult. De furt., Ord. lib. 5. tit. 60. §. 1. (Tit. IV. §. XII.). *Rapina* cum homicidio conjuncta, id est, *latrocinium*, huc non pertinet, (Tit. IX. §. XII. h. Lib.)

§. XII.

Ratione *quantitatis* furtum *magnum* qualificatum dicitur, et tale est, quod argenti bessis (*marco de prata*) valorem excedit, capite coercendum Ord. lib. 5. tit. 60. in princ. *Magnum* aestimandum ex magnitudine damni dati, et ex personae conditione; neque enim argenti bes homini nummato clam contrectata furtum *magnum* constituit. Capitale autem est, et tamquam *magnum* habetur furtum cum aedium effractione conjunctum, quod unius argenti bessis semissem excedit, Ord. cit. tit. 60. §. 1.

§. XIII.

Parvum, quod praefatam summam non excedit, flagellationibus punitur, vel alia poena corporis afflictiva pro furis conditione, et rei furtivae quantitate, qualitateve, Ord. cit. tit. 60. §. 2. Et haec est poena furti simplicis. Furtum *secundum* speciali poena non afficitur. *Tertium* autem qualificatum est, et capite punitur, quando singula quater centum regalium valorem exaequant, ead. Ord. §. 3. *Furunculi* (*Lusitane formiguerros*) res minutissimas contrectantes, hoc est, quae dicta quater centum regalia non excedunt, in foro impune tolerantur, vel leviter arbitrio judicis puniuntur: vide, sis, tamen Diploma 25. Decembr. 1608. §. 26. apud Ord. lib. 1. tit. 49. Coll. I. N. I. Decretum 12. Septembr. 1750.

§. XIV.

Sacrilegiū.

Sacrilegium, hoc est, *rei sacrae de loco sacro contrectatio*, capite punitur; rei vero non sacrae de loco sacro flagellatione, et exilio temporali ad triremes, Ord. lib. 5. tit. 60. §. 4. Inter res sacras hoc loco habentur aurum, argentum, sanctorum, altariumque ornamenta, et scripturae ad Ecclesiam, Monasteriumve attinentes. Locus etiam sacer ibidem dicitur non modo Ecclesia, et Monasterium, verum etiam domus quaecumque in eadem Ecclesia, vel Monasterio praefatis rebus sacrī custodiendis destinata (Tit. II. §. ult.)

Sacrilgio severiores fortasse constitutae sunt poenae, quasi scilicet minus peccaret, qui homini pauperculo omnia ad vitam utcunq; tolerandam necessaria abstulit, quam qui rem aliquam e templo subtraxit: summo enim Numini furtum fieri nemo facile dixerit, Filangieri tom. IV. cap. XLIV.

§. XV.

Furtum
domestico
cum balneariis
ruina faciliis;
et ab
geis.

Furti domestici, veluti a conjugē, liberisve commissi, vel a personis aliis conjunctis, vel a servis, ancillisve, leges nostrae speciatim non incen- minorunt. Illud tamen omnium fere gentium modio, vel ribus mitius puniendum, tum quia ex re nata ex- cuseationem aliquam habet, tum quia aliquod do- mino imputari potest, Stryk. Disp. De jur. do- mest. cap. ult., et ad tit. De furt. Us. mod. §. XV. Lauterbach. ibid. §. XI. Heinecc. ad Pand. eod. §. XCIV. (Inst. de Jur. Personar. Tit. IX. §. XXV. Not.) Idem silentium in legibus nostris de furibus *balneariis* apparet, et de iis etiam, qui occasione incendii, naufragii, vel ruinae, res alienas furantur, rapiuntve; qui omnes non gra- vius propterea puniri debent, quam alii fures, vel

vel raptore, Groeneweg. *De Legib. abrogat.* tit. cit. *Abigei* quoque tamquam reliqui fures apud nos puniuntur, neque in eos specialis poena statuta invenitur: de pecudum autem abactoribus specialis Ordinatio exstat lib. 5. tit. 115. (Inst. Jur. Publ. Tit. VII. §. XIII. Not.)

Mitius puniendum non modo furtum domesticum *proprium a filiofamilias*, conjugeve commissum; verum etiam *improprium a famulis*, et mercenariis, l. 89. *De furt.*, *Meister Princip.* Jur. Criminal. §. 182. *Filangieri* tom. IV. cap. LIV. pag. 486.: quod non omnibus placet. Ego vero existimo delictorum poenas ob delinquendi occasionem utique molliendas, et temperandas esse, modo occasio haud quae sita fuerit, sed forte fortuna oblata, haud ex delinquentis ingenio, sed aliunde (a causa externa) provenerit: qua de re videnda Püttmanni *Prolul.* IV.: *An*, et *quatenus delinquendi occasio delictum, ejusque poenam minuat.* (Tit. XIX. §. III. Not. h. lib.)

§. XVI.

De iis similiter, qui arborum, vel agrorum fructus ex alienis hortis, vel agris furantur, leges nostrae speciatim non meminerunt: adeoque tamquam alii fures puniendi. *Damnosi*, quos dicimus *damninhos*, de quibus agitur Ord. lib. 5. tit. 87., huc non pertinent; fures enim non sunt. Fur autem est, qui ligna alterius caesa ex silva, vel arborem alienam caedit, et furatur: eam vero si ex silva communis caedit, et auferat, furatum non committit; pro more tamen regionis puniri debet.

De furto
arborum,
et fru-
ctuum.

Qui fructus maturos lucri faciendi causa contrectavit, fur est, et pro illorum qualitate, quantitate, et aliis circumstantiis quemadmodum fures alii coercendus: is autem, qui immatuos, et crudos decerpit, vel jam maturos perdidit, et in terram projectit, cum lucrandi animum non habeat, non furti tenetur, sed de damno injuria dato. Licetum puto viatori pomum decerpere ex horto alieno, vel uvas etiam extra calum necessitatis, modo eas statim

in vinea comedat, vel in via ipsa. Moses Deuteronom. cap. XXIII. vers. 24. 25. Hebraeis dixit: *Ingressus vineam proximi tui, comedere avas quantum tibi placuerit: foras autem ne efferas tecum. Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, et manu conteres: falso autem non metes.* Mr. Pajoret opulculo inscripto: *Möïse considérè comme Legislateur, et comme Moraliste,* cap. VI. pag. 470. Haec lex mortibus nostris probatur in Colario, fertilissimo prope Cintrum oppido, et non nullis aliis. Quod lib. II. Feudor. tit. 27. §. 8. dicitur: *Quicumque per terram transiens equum suum populare voluerit, quanto propinquias secundum vias flans in loco amplecti potuerit ad refectionem et reparacionem equi sui: impuno ipsi equo porrigit. Licetam sit etiam ipsi uti herba et viridi silva, et sine vastatione aliqua quilibet utatur pro sua commoditate, et usu necessario: non semper, et ubique ferendum est, ne maleficiis praebeatur occasio aliis damnum pro lubitu inferendi,* Harppreßt. ad §. 1. n. 23. Inst. De obligat. quae ex delict. nasc.

§. XVII.

Rei depositae, commode, de decoratoriis. Qui res alterius magis intervertere, quam furari videntur, veluti commodatarii, depositatarii, mandatarii, administratores, aurifices, ceteri, qui ex contractu rem alienam tenent, eadem abutentes, vel in proprios usus convertentes, quamvis re vera fures sint (§. II.), non furti poena ordinaria, sed extraordinaria, quae ad mortem utique extendi potest, judicis arbitrio puniuntur, Ord. lib. 5. tit. 60. §. 8. Major enim est eorum malitia, qui rem ex alterius manu, et possessione auferunt, quam eorum, qui rem apud se jam existentem citra domini voluntatem in suos usus convertunt, quibuscum liberalius agendum est, vel ob delinquendi occasionem ex re ipsa natam, vel eb domini culpam qualemcumque cum eisdem contrahentis, l. 55. §. 1. De administrat. et peric. tutor., Carpzov. P.II. Quæst. LXXXV. n.67. Videnda citata Püttmanni Prolusio: *An, et quatenus delinquendi occasio delictum, ejusque poenam minuat.*

Quod

Quod ad decoctores quoque, qui dolo malo creditores fraudarunt, producendum videtur, cum alienam custodiam non invaserint; et ita intelligenda Ordinatio lib. 5. tit. 66., Phaeb. II. P. Arest. 24. Arouc. Alleg. 28. Vallasc. Alleg. 13. a n. 115. (Inst. Jur. Publ. Tit. VIII. §. XXXI.)

§. XVIII.

Crimen peculatorius, hoc est, furtum pecuniae publicae ab eo, cuius fidei illius custodia commissa non est, factum, eadem poena, non duriore, qua furtum privatum puniri solet, coercendum. Crimen *de residuis*, quale committunt Officiales publici eas res intercipientes, et in usus suos convertentes, quae illorum fidei traditae erant, eadem etiam poena, non graviore puniendum, qua tenentur privati depositarii, commodatarii, ceteri rei alienae ex contractu administratores, eademque citra domini voluntatem abutentes, Ord. lib. 2. tit. 51. in princ., deducta ex Emmanuelis Regis Extravag. 8. Jun. 1521. apud Leon. 4. p. tit. 15. l. 1.

Princeps non minus res privatas civium, quam suas, et publicas curare debet; adeoque *peculatorius* aequo ac furtum privatum puniendus. Idem dicimus de Regis Officinalibus pecunias sibi creditas intercipientibus, mutuove dantibus, quorum crimen *de residuis* dicitur: et ita nimis constat ex citatis Ordinationibus, quae pro fundamento habent Alphonsi II. et III. leges Alphonsino Codice relatas lib. 2. tit. 42. et 43. Poena igitur capitalis, et corporis *afflictiva* in crimine *peculatorius*, et *de residuis* eo tantum casu locum habet, quo inter privatos locum habere potest. Neque contrarium evincitur ex Ord. lib. 5. tit. 74. Emm. 28. lib. 2.: intelligenda enim est ex alia Ord. eod. lib. 5. tit. 60. §. 8. supra citata, et ex naturalibus, quibus nititur, rationibus (§. XVII.), Strik. U. mod. ad tit. De leg. Jul. peculatorius. §. IV. Apud Ostrogothos pecuniam filco, vel publicis rationibus competentem furatus Edictio Theodorici Regis §. 115. quadruplum red-

de-

debat; apud Wisigothos ex l. 10. tit. 2. lib. 7. novetur plumbum restituere cogebatur.

§. XIX.

De directariis,

Directorii, qui in aliena coenacula se diri-
aperticu- gunt furandi animo, ut ibidem se occultantes
lariis, commodius, et securius aufugere possint: *aper-*
saccularii, man- *ticularii* clavibus adulterinis, hamis, uncinis
ticula- utentes, quibus scilicet nihil tam obseratum, oc-
XII. clusum, obsignatumve est, quod non aperiant:
saccularii pecunias, salvo sacculo, subducentes
ea ingenii, membrorumque agilitate, ut adstantium
oculos fallant, cujusmodi praestigiatores vul-
gus ignarum pro magis habet: *crumenifecae*, et
manticularii, in fecandis manuspiis deprehensi,
quamvis veri fures non sint, nec res et pecunias
alienas contrectent, flagellationibus, et exilio pu-
niuntur, Ord. lib. 5. tit. 60. §. I. 9. 10. II.,
Cujac. lib. X. Observat. cap. XXVII. Menag.
Amoenit. jur. civil. cap. 39. Stryk. Disp. *De sac-*
cular. et directar. et Us. mod. ad tit. De extraor-
dinar. criminib. §. IX. X. XI. XII. et XIII.

§. XX.

Poena
furti ca-
pitalis in
usu non
est.

Jam vero ex dictis patet poenam furti *qua-*
lificati, etiam *non violenti*, quandoquidem ca-
pitalem esse. Dura, fateor, haec lex est, ne di-
cam injusta: itaque jam dudum antiquata, et ju-
re non scripto, Regibus nostris humanissimis ap-
probantibus, in foro abrogata.

Furtum qualecumque alicujus momenti ipsis antiquis
Regni legibus capitale erat. Illud vero quibusdam in lo-
cis foralibus legibus invenitur constitutum, quod fur-
tum *primum*, et *parvum* per novecuplum (*novecas*) Regi,
et *septimum* (*setena*) Donatario, et *duplum* rei do-
mi-

mino praestandum expiari possit: quae ommia, et singula a fure solvenda erant prope patibulum, manibus, et fune ad collum alligatis: videnda Alphonsi IV. Ordinatio Comitiis apud Scalabim ad populi rogationem data apud Ord. Alph. lib. 5. tit. 65. Poena effusionis oculorum, manus in vita amputationis, et turpis signatis in furtis fronte, vel scapulis iniustio, in usu non sunt: hujus tamen meminit lex dicta da Reformação da Justica 6. Decembr. 1612. §. 20. apud Ord. lib. 5. tit. 130. Coll. I. N. I. et Regium Diploma 31. Mart. 1742. §. 8. apud eamdem Ord. lib. 1. tit. 1. Coll. I. N. I. Eniinvero flagratis in fronte humana iniustio (in scapulis per me licet) crudelis poena est, et ab hominis dignitate longe aliena, Filangieri tom. IV. cap. XLI. Briffot tom. V. Biblioth. Philosoph. pag. 303. Püttmann. in Prolus. De numero decollatorum prudentia legislatoria minuendo. Quod si in reis puniendis id potissimum intenditur, ut emendentur, sanamque ad mentem redeant: quae emendatio ab eo speranda, quem perpetua comitatur infamia, quem omnes fugiunt, et fastidunt, et cuius in fronte inscriptum est: *Hic niger est, hunc ta, Romane, caveto?* In Hispania vivicomburium, damnatio ad bestias, et libera rei traditio offensi voluntati, et similes poenae atroces, et crudeles in usu quoque non sunt, Inst. Del derecho civil de Castilla lib. II. tit. XIX. cap. IV. §. 1. in fin.

§. XXI.

Haec autem capitalis poena utut apud omnes De illius fere Nationes hodie statuta inveniatur; tamen nec olim omnibus placuit, veluti Judaeis, Romanis, Wisigothis, Alemanis, cet., Heinecc. Elem. Jur. Germ. lib. II. tit. XIX. Boehmer. Jurispr. Crimin. Sect. II. cap. XIII. §. CLXIX. cum seq., nec nostri temporis Philosophis non omnibus arridet; eam enim plenis buccis injustam vocant, et inutiliem, tum quia delicto non respondet, quocum animae amissio nullam habet proportionem, nec illud evitat; tum quia homicidiis occasionem dare videtur, cum fures, qui sciunt eadem poena afficiendos, sive furtum simplex sit, sive cum caede conjunctum, vix ab ea abstineant: quod facerent,

rent, si alia furti, vel latrociniī poena esset, alia homicidii.

Haec hodie una Philosophorum omnium vox est, quos vel solum nominare longum esset. Et sane ubi rapina cum caede haud conjuncta, et latrocinium aequali coercentur poena, ibi non possunt non frequentiora esse latrocinia, quam rapinae. Quid, quaeſo, raptorem, qui fecit eamdem ſibi imminere poenam, ſeu a morte abſtineat, ſeu non abſtineat, retinebit, quominus ſcelus ſcelere cumuleat, teſtemque ſibi periculofißimum perimat? Difſinctio praeterea inter furtum maniſtum, et nec maniſtum, diurnum, vel nocturnum, domeſticum, vel extraneum, ſacrum, id eſt, rei ſacrae, et profanum, magnum, vel parvum, ad poenam quod attinet, nihil ferme facienda; cum utrumque idem delictum eſt, et ejusdem generis: itaque non poenam diversi generis graviorem, ſed majorem in eodem tantum genere ex circumſtantibus admittere potest. Bene Plato de legib. Dialog. IX.: *De furto autem, ſive magnum quid, ſive parvum quis furatus eſt, una lex, poenaque ſimilis omnibus eſt.* Magna autem diſſentia conſtituenda inter furtum non violentum, ſeu ſimplex, et violentum, quod alterius ordinis crimen eſt, cum non tam proprietati civis, quam ejus viuae, et perfonae directo opponatur; nam, ut ſapienter idem Plato Dial. XII. ait, *pecuniae furtum illiberalē quidem eſt: rapina vero turpiffimum.* Gravior igitur poena rapinae, quam furto infligenda eſt (capitalem ſemper excipimus). Neque furtū inter ſe, cum in eodem genere delicti conſtant, ſed a rapina potius, et violentia diſtinguere oportet; quae propterea leverioribus aliis poenis, quae perfonam magis, quam res afficiant, puniri debet, *Filangieri tom. IV. cap. LV.* Enimvero Friderici II. Imper. in Conſt. de pac. tenend. lib. 2. feudor. tit. 27. §. 8. lex: *Si quis quinque ſolidos valens, aut plus fuerit furatus, laquico ſuspendatur: ſi minus, ſcopis et forcipe excorietur, et tundatur:* in perpetuum lata non ſuit, ſed ad vexata turbulentis bellorum motibus tempora accommodata. Eisdem temporibus referenda inter nos Decreta 4. Novembr. 1755. 27. Januar. 1757. occaſione terrae motus, qui Oliſiponem paene abſumpſit, data: quibus ſcilię temporibus perditissimi quidam homines omnem humaniſtatem ejurantes in tanta rerum publicarum perturbatione, et occaſionem inde arripientes, nihil niſi rapinas, et homicidia spirabant; quae veluti in re trepidā, et in tanto civium omnium periculo ſeverioribus utique poenis,

et breviori, *sammarissimoque* processus ordine admisso, evitari tantum poterant. Eo autem semoto, nihil iniquius est, quam miseri hominis, atque pauperculi, qui e manibus divitis, apud quem tanti nummorum construuntur acervi, ut jam appendantur, non numerentur pecuniae, pusillum quid decerpit, gulam laqueo frangere, et immisericorditer capit is damnare! Sapientius hac in parte (etsi ceterum legislator haud optimus) Justinianus in Novella 134, cap. 13. : *Pro farto autem nolumus omnino quodlibet membrum abscondi, aut mori, sed aliter eum castigari. Fures autem vocamus, qui occulte, et sine armis hujusmodi delinquunt. Eos vero, qui violenter aggrediuntur aut cum armis, aut sine armis, in domibus, aut itineribus, aut in mari, poenis eos legibus subdi jubemus.*

§. XXII.

Quamvis hodie furtum publicum delictum sit, Res furtiva dotiva do-
Ord. lib. 5. tit. 117. et 122. (Tit. I. §. IV.) ; mino re-
tamen persecutio criminalis *interesse* non tollit constituenda, et de
privatum : itaque dominus non modo rem furtivam actione ex delicto personali, quam condiponita poena
Elionem furtivam dicunt, vel reivindicationis per dupli,
tere potest; verum etiam omne damnum occasio-
ne delicti datum, Ord. lib. 5. tit. 86. §. 1. ibi :
*A estimacão do seu damno pelos bens do damni-
ficador*, Struv. Exercit. XLVIII. Thes. L. Bar-
bara igitur est consuetudo, quae rem furtivam
Magistratui addicit, vel retentionem concedit etiam
praetextu expensarum in illius inquisitione ex officio facta, Stryk. *Uf. mod. ad tit. De furt.* §. XXVI.
Extinguit autem persecutio criminalis civilem dupli, vel quadrupli poenam; vel quia legibus, qui-
bus modo vivimus, nulla illius mentio fit; vel
quia aequum est, ut nemo duplici poena ex eodem
delicto afficiatur. Jus ergo Romanum cum Boehme-
ro Elem. Jurispr. Crim. Sect. II. cap. XII. §. CLVII.
Thomasio in Not. ad tit. Inst. De obligat. quae
ex delict. nasc. et aliis abrogatum censemus. Ne-
que illius receptionem, et auctoritatem, specia-
Tom. V. N li

li lege cessante, probat libellorum in actione furti praxis apud Camin. de libell. Annot. 39., in quibus severiores poenae tam civiles, quam criminales conjungi, et peti solent.

§. XXIII.

*De famo-
fis latro-
nibus.*

Famosos latrones tam in propria, quam aliena iurisdictione inventos judices ex officio inquirere possunt, comprehendere, et processum illorum criminalem, nulla fori praescriptione obstante, ordinare, Diplom. 14. Aug. 1751., quod ad Regni universi provincias extendendum videtur, quamvis de Transtagana, et Algarbiorum tantum regno loquatur. Eodem privatis quibuscumque concessum non modo similes criminosos proximo Magistratui statim tradendos capere; verum etiam errores, et otiosos, quo pertinent Ord. lib. 1. tit. 58. §. 38. tit. 73. §. 2. et lib. 5. tit. 60. §. 7. cet. Vide, sis, Jacob. Gothofred. Dissert.: *De famosis latronibus investigandis* ad l. *Sæ Barzatoram* 13. Cod. De fidejussionib.

TITULUS VII.

De damno injuria dato.

§. I.

*Damnum
quid, et
in quo a
furto
differat.*

Damnum hic dicitur, *quaevis patrimonii imminutio non jure facta*. Differt a furto, et rapina, quia sine vi, et contrectatione fit, et animo lucri faciendi; quapropter crimen privatum, et separatum est.

§. II.

§. II.

Quod vero quis damnum sua culpa datum Necessitas repatriationis.
resarcire teneatur, et quod hoc nomine et ad satisfactionem, et ad poenam sit obligatus, tam certum est, quam quod certissimum. Quemadmodum vero damnum datum aliud alio gravius est, et pro rei familiaris ratione unum idemque facinus in alia provincia plus, et in alia minus potest afferre detrimenti; ita poena non potest ubique eadem esse: adeoque illius gravitas, et quantitas ab arbitrio, et prudentia legislatoris necessario dependet. Illud etiam certum est, damnum alicui sine contrectatione, et lucrandi animo datum apud omnes fere Nationes levius delictum, quam furtum, vel rapinam, jure meritoque habitum fuisse: itaque minoribus poenis afficiendum.

§. III.

Infertur damnum vel a libero homine, vel Quis a servo, vel a quadrupede. Primum a Jureconsultis Romanis vocatur *damnum injuria datum*; damnum dare potest. alterum *noxia*; postremum *pauperies*.

§. IV.

A libero homine datum dolo, vel culpa vin- Actio ex lege Aquilia de damnatio no.
dicatur lege Aquilia, actione *directa* ex eadem lege, si corpore in corpus damnum datum: *utili*, si corpore, sed non in corpus: et *infactum*, si neque corpore, neque in corpus; damnum tamen sit sequitum. Ea autem petitur tantum, quanti res intra annum, vel triginta dies proximos plurimi fuerit, tot. tit. ff. et Inst. Ad leg. Aquil.

§. V.

Noxalis,
et de
paupe-
rie.

A servo datum, id est, *noxia*, vindicatur
actione noxali, qua vel damni aestimatio, vel ser-
vi deditio a domino petitur, princ. Inst. et l. 1.
De noxalib. action. A quadrupedibus, hoc est,
animalibus, quae dorso, et collo domantur, quae
scilicet a nemine instigata contra naturam sui
generis nocent, damnum datum *actione quoque noxali*
petitur, qua agitur, ut quadrupedis possessor, et
dominus damnum resarciat, aut animal noxae de-
dat, l. 1. Si quadrup. pauper. fec. dic.

§. VI.

Lex
Aquila
num-
quam
recepta.

Legis Aquiliae usus in sensu juris Romanis
hodie nullus est, nec fortassis umquam fuit. Et
inde consequitur, 1) ut non possimus de damno
resarciendo agere in tantum, quanti res fuit in-
tra annum, vel mensem proximum: 2) ut nihil
intersit damnum corpore datum sit, vel non; adeo-
que 3) nullius usus esse discrimen inter actiones
directas, *utiles*, et *in factum*; nec 4) specialis
actionis *de pastu* dictae; nec 5) litem hodie in-
ficiendo crescere, cetera jure Romano hac in re
statuta, quae aliis explicanda consulto relinquimus.

Receptio legis Aquiliae neque hodiernis, quibus uti-
munt, Ordinationibus, neque antiquis, quas sciām, quod
necessarium erat, probatur: quinimmo ex eisdem constab.
majores nostros aliter damnum a libero homine injuria da-
tum vindicasse, veluti multa quadam damnum patienti, et
Regi applicanda secundum leges ususque feudales. Neque
eame die probat Pragmaticorum praxis in libellis de damno
dato formandis apud Camin. de libell. Annot. 36. Mend.
Pract. Lusit. lib. IV. cap. XI. §. II.: ex superstitione
enim juris Romani veneratione provenit. Neque profecto
jus ipsum, quamvis generaliter et indefisite in foro fuisset
receptum, Patriis legibus et moribus repugnantibus,

fine

sine speciali lege in re mere civili admittendum videtur.
Quod autem lex Aquilia ubique fere abrogata sit, docent
Groeneweg. ad princ. Inst. eod. Thomae. Dissert. *De larva*
legi Aquiliae detracta §. 45. Coccej. Jur. Controv. ad tit. ff.
De leg. Aquil. Quaest. X. Heincc. Elem. Jur. Germ.
lib. II. tit. XXI. §. 94. et 95. Schilt. Exercit. XIX. ad
Pand. §. 86. Joann. Thaddaeus Muller Jur. Crimin. tit.
IX. §. 47. Not. Litt. F.

§. VII.

Ex maleficiis servorum *noxales* proditae sunt
actiones, quibus domino permittitur aut litis aesti-
mationem sufferre, aut hominem noxae dare, Ord.
lib. 5. tit. 86. §. 2. ibi: *E se se achar culpado...*
algum escravo... ficará na vontade de seu senhor
pagar o danno... ou dar o escravo, Emm.
83. eod.

Recepta
actio no-
xalis ex
maleficio
servi,
quamvis
hodie
non obe-
tineat.

Haec Ordinatio in usu non est, vel quia servos nullos
habemus, vel quia iniquum est, ut dominus, qui non de-
liquit, ex maleficio servi vel ad litis aestimationem, vel
ad illum dedendum teneatur. Grotius lib. II. cap. XVII. §.
XXI. ait, dominum, qui in culpa non est, natura non
magis ad delictum servi teneri, quam dominum navis, quae
vento agitata alterius navi nocuit. Ab eo tamen discedit
Pufendorfius de Jur. Nat. et Gent. lib. III. cap. I. §. VI.
et Barbeyracius in Not. ad eund. Vide, sis, Menkenium
Dissert. *De acuitate legum Romanarum circa noxae deditio-*
nem, et Ottoneum ad Pufendorf. De offic. hom. et civ. lib.
I. cap. VI. §. XI.

§. VIII.

Actio quadrupedaria de pauperie, uti eam
Basilica lib. LX. tit. 2. vocant, qua agitur, ut
dominus factam pauperiem, hoc est, damnum
resarciat, aut noxae animal dedat, in usu quo-
que non est, et ubique fere gentium abrogata,
Vinn. ad §. 1. Inst. Si quadrup. pauper. fec.
dic. Damnum, quod quadrupes secundum natu-
ram

Secus
quadrup-
pedaria
de pau-
perie, et
de pasto.

ram fecit, veluti agrum depascendo, nec *noxali*, nec *de pastu* actione petitur, sed alio modo vindicatur, Ord. lib. 5. tit. 87. in princ. et §. I. et 3.

Inter actionem de pauperie, et de pastu jure Romano re ipsa, et in effectu nulla differentia est. Julius Paulus apud Sculping. *Jurisprud. ante Justin.* lib. I. Sentent. receptar. tit. 15. ita habet: *Si quadrupes pauperiem fecerit, dominumque dederit, quidve depasta sit, in dominum actio datur, ut aut damni aestimationem subeat, aut quadrupedem dedat.*

§. IX.

**Patriae
de damnis
no datos
leges.** Quum ergo et naturalis, et civilis ratio suadeat, ut damnum injuria datum resarciantur, et pro illius magnitudine, et qualitate vindicetur (§. II.), multa inde consequuntur. Et 1) eum, qui damnum dedit, et ad illud praestandum, et ad mulctas agrarias solvendas teneri secundum generales, municipalesve leges, Ord. lib. 5. tit. 87. in fin. princ. *Pagará o damno, e coimas segundo as posturas : 2) damnosum (damninho), qui scienter quadrupedes, pecudes, et cuiusvis generis animalia in alienos hortos, segetesve immisit, praeter damni dati restitutionem exilio puniri Ord. cit. (Inst. Jur. Publ. Tit. VII. §. XII.) : 3) animalia in alienis hortis, vineis, vel olivetis semel, iterum, et tertium in mense inventa extra civilis jurisdictionis terminum, ubi illorum dominus vivit, ejicienda ex ead. Ord. §. I. : 4) dominum agri, cuius fructibus animalia nocuerunt, eadem posle publica ad id deputata custodia includere, et veluti pignoris jure capere, Ord. cit. §. 3.; adeoque, eidem idonea cautio ne praestita, detentionem pecoris jam non vide ri permisam, Ord. cit. dict. §. 3., l. 9. §. I. De damn. infect., Brunnemann. de inclus. animal. : 5) actionem de pauperie legibus nostris non*

non probari: 6) eum , qui bovem , quadrupedem , pecora in alienis , vel propriis agris , ea licet depascendo , casu , vel domini culpa scienter inventa occidit , in duplum , vel triplum domino praefundum teneri , et in Africam , vel Brasiliam pro illorum valore ad tempus , vel in perpetuum relegandum , Ord. lib. 5. tit. 78. §. 1. Emm. 100. , l. 24. tit. 15. Partit. 7. l. 39. §. 1. Ad leg. Aquil. Eadem ferme poena afficiuntur , qui arbores frugiferas caedunt , Ord. lib. 5. tit. 75. in princ. Emm. 100. Poenae igitur privatae , prout ex cit. Ord. et aliis constat , non omnino improbantur. De damno in hortis dato judex ex officio inquirit ad partis petitionem , Ord. lib. 1. tit. 65. §. 32. ; quae , cum exorbitans sit , ad damnum in segetibus factum extendenda non est , Phaeb. II. P. Arest. 180. (Tit. XI. h. Lib.)

§. X.

Incendiarii , quorum culpa incendio caussam dedit , carcere detenti non modo damnum datum secundum judicis aestimationem , de quo ex officio inquirere debet , resarcire tenentur ; verum etiam in Africam biennio mittuntur , Ord. lib. 5. tit. 86. §. 5. Emm. 83. Si dolus caussam dedit , criminalis in incendiarios accusatio competit ; iisque , cum vix a sicariis differant , quippe quia ignis latius evagando stragem simul segetum , pecorum , et hominum secum trahere potest , legibus Romanis capititis damnantur l. 16. §. penult. De incend. ruin. naufrag. l. 28. §. 12. De poen. l. 10. Ad leg. Cornel. de Sicar. Et hanc juris Romani poenam in dolos incendiarios expresse statuit Ordinatio cit. §. ult.

TITULUS VIII.

De injuriis, et famosis libellis.

§. I.

Injuria quid, et illius divisio. **I**NJURIA hic dicitur, *quodvis dictum, factumve in alterius contumeliam dolo malo directum; quae, cum vel dictis, vel factis fiat, in verbalem, et realem dividitur.*

De injuriis neque titulum specialem habemus in tribus Regni Codicibus, neque eisdem prout oportet definitum est quid injuria nomine veniat, quae illius poena, et quomodo prosequenda. Et inde nata arbitria jurisprudentia, ex qua tot, tantaque mala sequuntur. Plures equidem Ordinationes nostrae de injuriis loquuntur, veluti lib. 1. tit. 65. §. 25. cum sequent. lib. 4. tit. 63. §. 1. 88. §. 5. et lib. 5. tit. 42. 49. 50.: ast, cum vel de injuriis Magistratibus, eorumque Officialibus, vel a litigitoribus inter se illatis agant, vel de Judicibus, quibus illarum cognitio competit, vel de donationibus ob injuriam revocandis, vel de filiis ob injurias a parentibus exhendandis, rem hanc universam, quae quotidiana est, intactam fere relinquunt, a Judice suo arbitrio, aut ex jure Romano, quod gravius et peius malum est, definiendam. Enimvero qualitas injuriae Magistratus judicio relinquitur Ord. lib. 4. tit. 63. §. 1. ibi: *E se for duvida, se a injuria ast feita he grave, ou naô, fique em arbitrio do Jalgador, et tit. 88. §. 5. ibi: E ficará em arbitrio do Jalgador, se as taes palavras forão graves, ou leves.*

§. II.

Alia divisio. Dividitur etiam in *simplicem, et atrocem,* quae aestimatur vel ex facti gravitate, vel ex loco, ubi quis injuriam passus est, vel ex personae, cui fuit illata, dignitate; in *immediatam, quam per nosmetipos patimur, vel mediatam, ut vocant, per eos, qui nostrae potestati, vel defensio-*

fioni sunt subjecti, quos tueri nos oportet, veluti filiusfamilias, vel emancipatus, uxor, sponsa, l. 7. §. 7. 8. l. 8. l. 9. De injur. l. 18. §. 4. 5. l. 15. §. 35. eod., Harpprect. ad §. 7. Inst. De injur. Brunemann. ad l. 1. n. 4. et 5. ff. eod.

§. III.

Non facta etiam injuria fit, eaque omittendo *Injuria* committitur, veluti si quis superbia elatus debitos alicui civiles non tribuit honores, nec consuetis salutationibus utitur, Boehmer. ad tit. ff. De injur. §. VII., *Traité des injures par M^e Dareau Sect.* IV. pag. 80.

§. IV.

Atrocitas injuria cum vel ex re ipsa, personae dignitate, vel ex loco, in quo infertur, aestimanda sit (§. II.), sequitur injuriam atrocem dicendam, 1) quae Magistratui fit, Ord. lib. 5. tit. 49. et 50. (Tit. IV. §. VII. Not.): 2) illius Officiale, Ord. cit. et lib. 1. tit. 65. §. 26.: 3.) Nobilibus, vel personis aliis in dignitate constitutis, ead. Ord. et lib. 3. tit. 86. §. 12.: 4) quae a Nobilibus committitur in homines praesertim plebeios, et ignotos, cum judicis officio profecquatur, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 30.: 5) vel a servis, et filiis in dominos, et parentes, Ord. lib. 5. tit. 41.: 6) vel ei facta, quocum quis in iudicio contendit; majore enim afficitur poena Ord. lib. 5. tit. 42.: 7) vel in publico, veluti in theatro, vel in iudicio, vel coram probis honestisque viris, Ord. lib. 4. tit. 63. §. 1.: 8) vel coram Rege, Regia Domo, vel eo loco, ubi fuerit Supplicationis Domus, Ord. lib. 5. tit. 39.: 9) in Ecclesia, vel Monasterio, ead. Ord. tit. 40. Re ipsa atrociora injuria dicitur famosum convicium,

Tom. V.

O

vel

vel factum, puta si vulnus ciliatum, vel os alicui percussum, l. 7. §. ult. De injur.

¶. Auctor. Lib. 4. C. 1. G. 2. Qui injuriarum institutam actionem in judicio non prosequitur, vel ab ea quacumque litis parte desistit, ab omni poena, emendatione, et satisfactione desistere videatur; adeoque iudex, qui ex officio de causa cognoscit, non potest poenam quacumque injuriam passo applicare, Ord. lib. 5. tit. 117. §. 19. verl. *E postloque*, et tit. 124. §. 15. vers. *E partindo-se*: quam tamen eidem applicare bene potest, quando ipse nullam actionem, accusationem ve instituit, Ord. lib. 5. tit. 136. §. 2. vers. *Poren quando*; hoc enim casu non dicitur contumax, et rebellis, uti in priore; et ita intelligendae, et inter se conciliandas citatae Ordinationes. Haec quamvis ita sint, speciale est, quod si Nobilis injuriam inferat, eadem affectus quamvis ab incepta et instituta jam accusatione desistat, reo sententia judicis ex officio condemnato, poena semper laeso et injuriam passo applicanda est, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 30. Videnda Olisiponensis Senatus Deliberatio 22a Febr. 1721. apud noviss. Collect. N. CLXXXIV.

§. V.

De injuria cadere potest tam in praesentes, quam in absentes, si eo animo dicta sit, ut in illos infantes, rum notitiam perveniat, Ord. lib. 4. tit. 63. §. 1. et 7., et in ignorantes quoque, dormientes, et invitatos, veluti infantes, furiosos, mente capitos; qui, quamvis injuriam facere non possint, cum doli capaces non sint, injuria affici possunt l. 3. §. 1. 2. ff. De injur.

§. VI.

De injuriandi animo. Quum sine dolo nulla injuria sit (§. I.), facile patet sine injuriandi animo injuriam non dari, l. 15. §. 3. De injur. Injuriam igitur non infert, 1) qui per jocum quid facit, vel dicit, l. 3. §. 3. eod. : 2) qui testi ad sui defensionem crimen verum objicit, l. 6. §. 1. Cod. De postul.

tul.: 3) nec qui contra rescriptum obreptionis, mendacii, falsitatis exceptionem opponit, Stryk. *De falsit. prec. Princ. oblat. cap. IV. n. 7. seq.*: 4) qui ratione officii, et emendandi, corrigen-
dive gratia quidquam faciunt, quod, si alii fa-
cerent, injuria esset, quales sunt praeceptrores,
parentes, et mariti, discipulos, filios, uxores mo-
dice castigantes l. 15. §. 38. eod. l. 5. Ad leg. Aquil.,
Ord. lib. 5. tit. 95. §. 4. et tit. 36. §. ult.; itemque
Oratores ecclesiastici depravatos saeculi mores atro-
carbone notantes, modo personis parcant.

Si dictum, factumve natura sua et indele injuriosum est, animus injuriandi praesumitur; adeoque reo eum neganti incumbit onus probandi, l. 5. Cod. De injur. Veritas con-
victi injuriantem non excusat; poenam tamen mitigat,
dict. l. 5. Injuriantem quoque non excusat *laudatio aucto-
ris*, l. un. Cod. De famos. libell., nec protestatio dicto
facto de contraria, neque error in persona: adeoque qui
Titio injuriam dixit, quem Seium esse credebat, Titio
injuriarum tenetur, l. 18. §. 3. De injur. Excusandus deni-
que non est, qui injurias ab aliis acceptas profert, et spar-
git: non minus enim famam, et existimationem laedit,
quam auctor ipse injuriarum. Provocato tamen, qui con-
tumeliam objectam alia contumelia repulit, condonandum;
nam justum temperare dolorem difficultimum est, nec omni-
bus datum.

§. VII.

Qui blanda oratione alterius pudicitiam at-
tentat, qui que virginis, vel honestae feminae co-
mitem abducit in via, eive suadet, ut jam cum
ea non sit; qui eamdem frequentat, comitatur, exem-
pli invadit, et ita cum ea agit, ut ex pu-
dica impudica fiat, injuriandi certe animum non
habet, et tamen injuriarum actione tenetur l. 9.
§. 4. l. 10. l. 15. §. 16. cum seq. De injur., Ord.
lib. 5. tit. 18. §. 2. Vide, sis, *Cause célèbres,*
*et intéressantes par M^r. Gayot de Pitaval sur
l'outrages faites à une Dame* tom. IX. pag. 276.

Injuriae
fine ani-
mo inju-
riandi
plum.

O ii

§. VIII.

§. VIII.

De calumnia, maledicentia, simplici detractione, odiosa, et maligna delatione.

Inter injurias verbales re ipsa atroces (§. IV.) eminet *calumnia*, quae vel ore prolata est, *scripta*, *judicialis*, vel *extrajudicialis*. *Calumnia* hic dicitur malitiosa, et mendax quaevis verbalis infamatio, qua adversarius malum grave, quod non fecimus, nobis objicit, cuius notitiam prius vulgo malis artibus, et insidiis spargere, et disseminare curavit. Grave hoc crimen, quod unodie infligitur, et cui reparando vix multi anni sufficiunt, dignum profecto est, quod severioribus poenis, veluti infamantibus, et perpetuo carcere coerceatur: illud tamen (tam enim depravati hominum mores sunt) fere impunitum est maxime extra judicium, neque illius leges nostrae speciatim meminerunt (Tit. II. §. XIII.). De judiciali non nulla nos diximus Tit. II. §. XVIII. XIX. Tit. XIII. §. VIII. Tit. XX. §. IX. X. XI. Ceterum de calumniarum poenis, et progreſſu sub Imperatoribus videntur Henric. Branchmannus *de lege Remmia, et de fatis calumniatorum sub Imperatorib.* apud Otton. tom. III. Thesaur. Jur. Roman. Maledicentia, ut ut vera injuria, gravis, vel levis est pro illius qualitate (§. VI Not.). Imprecationes autem, minae, simplices detractiones, leves plerumque injuriae, vix in foro civili puniendae; nam *lubricum linguae ad poenam facile trahendum now est*, l. 7. §. 3. Ad leg. Jul. Majest. Alterius autem in aliquem facta, et occulta dicta eidem maligne nuntiantes, quos *mexeriqueiros* dicimus, tamquam injurii ipsi habentur, et poena talionis puniuntur.

Calumnia, quod hic adnotare placet, antiquis legibus, et Donationibus, quibus aliquius loci dominium Nobilibus dabatur, significabat jus poenas fiscales, et condemnaciones sibi habendi, quod non nisi expresse donari poterat.

§. IX.

§. IX.

Injuria *scripta* atrox semper censenda ; ita- De inju-
que gravius quam *verbalis* puniri debet , Ord. *ria scrip-*
lib. 5. tit. 84. §. 2. Eam. 79. *Libellum famo-* *ta, et*
famoso
sum dicimus litteras infamantes sine nomine , l. 5. *libello-*
§. 9. De injur. l. 1. l. 3. l. 4. Cod. Theod. De
famol. libell. Qui infamantes has litteras aperuit ,
descripsit , vulgavit , eadem poena , qua illarum
auctor afficiendus , Ord. cit. §. 1. , deducta ex
Oduardi Regis lege Eborae data 26. April. ann.
1435. apud Ord. Alph. lib. 5. tit. 117. Gam. de-
cis. 139. n. ult. Themud. II. P. decis. 223.

Nulla profecto differentia est inter injuriam scriptam , et
libellum famosum , si hunc nomen addatur : et ita haec crimi-
na inter se distinguenda . Coccej. Jur. Controv. ad tit. De
injur. quaeft. 31. : posterior tamen , cum spem impunitatis
ex nominis suppressione prae se ferat , et probatu fit difficilis .
gravius quam injuria scripta puniendus : Capitis au-
tem poena statuta l. un. De lib. famos. exorbitans est , et
injusta . Qui librum , epigrammata , inscriptiones , picturam ,
sculpturamve ad infamiam alicujus componuerit , inscrip-
serit , fecerit , produxerit , iudicaverit , tamquam libelli famosi
auctor habendus , l. 5. §. 9. et 10. l. 15. §. 27. De injur.
Litterae ad amicos missae , quamvis non nulla contineant
in alicujus notam , pro injuriosis et infamantibus haberi
non debent ; cum non sint scriptae animo injuriandi : quae-
dam enim inter amicos et scribendi , et inter se confabu-
landi certa libertas est , quam jura omnia concedunt , *Mie*
Dareau Traité des injures cap. I. Sect. II. pag. 46. *Pla-*
gium litterariorum inter injurias scriptas numerandum : nam
certe injurius est , qui aliena opera tamquam sua vendit ,
donat , typis mandat , aut disseminat , *Dareau* cit. cap.
III. Sect. VI. pag. 228. et seq.

§. X.

Injuriae reales re , et facto inferuntur , quod *Injuria*
in se injuriosum est , vel injuriam ex communi ho- *realis*
mi-

minum opinione parit; veluti si quis alicui crines, vel barbam expilaverit, alapam impegerit, verberaverit, manu, baculo, vel alio instrumento quemquam percusserit, aut vulneraverit, vel gestibus ad invidiam compositis despicerit; quod fit, si in alicujus contemptum linguam exerat, oculos distorqueat, faciem deformet, vel cornua ad conjugum aedes suspendat, Novell. 15. Mart. 1751. Quae injuriae, uti verbales, vel *simplices* sunt, vel *atroces*: itaque vel gravius, vel mitius puniendae (§. IV.).

De injuriis corpus affidentibus si non speciali titulo, multis tamen in locis meminerunt Regiae Ordinationes, veluti lib. 1. tit. 65. §. 31. 33. 37. 38. et lib. 5. tit. 35. §. 3. 4. 5. 6. 7. et tit. 36. 39. 40. 41. 42. 117. §. 1., et Palatii Curiae Regim. §. 18., quibus jungendae Extravagantes ad eosdem titulos utcumque insertae. Iis autem aut nulla poena definita est, adeoque illarum coercitio judicis arbitrio relinquitur: aut, si definita, vix uno aut alio casu debitam servat proportionem. Illud igitur citatis Ordinationibus tamquam praecipuum agitur, ut sciamus quando ex vulneribus inflictis querelae, et quando inquisitioni locus sit.

§. XI.

*Et illius
poena.*

Injuriarum poena capitalis, vel corporis *afflita*
Etiva non tollit mulctam publicis legibus, vel
foralibus constitutam, Ord. lib. 5. tit. 36. §. 1.
ibi: *E isto alem das penas pecuniarias conteudas nos foraes dos lugares, Emm. tit. II. §. 2.: Pero nom he nassa tençam polas ditas penas serem relevados os que semelhantes delictos fezerem das penas pecuniarias contheudas nos foraes dos luguares, Alphons. tit. 33. §. 5.: E por esta pena nom sejam relevados das penas da Justica, que merecerem pelos maleficios ... Nem outro sy sejam relevados das penas contheudas nos foraaes, e custumes antigos nos lugares.*

§. XII.

§. XII.

Vulnus lethale judicio Medicorum , cui stan- ^{Vulnera}
dum est Ord. lib. 1. tit. 65. §. 38., homicidii ^{lethalia.} poena coercetur. A primaria autem vulneris conditione ipsius lethalitas apud judices repetenda : quare si culpa Medici , vel quavis alia extrinsecus caussa vulneratus decessit , poena ordinaria locum non habet , Carpzov. P. I. Quaest. XXVI.

Inspectionem cadaveris occisi , et relationem de vulneris qualitate in homicidio , quamvis frustaneam eam habeat Leyser speciali super hac re dissertatione , omnia jura probant : itaque a judge numquam praetermittenda : nec alter de corpore delicti constare potest. Medicis autem , et Chirurgis *vulnus mortiferum esse jurejurando affleverantibus mulum quidem tribuendum est ; sed non adeo , ut illocum judicium probationem in contrarium non admittat ,* Stryk. *Uf. mod. ad tit. ff. Ad Leg. Cornel. de sicar. n. 3. et 4. Quod vero vulnus lethale non sit , quando vulneratus post illud acceptum quadraginta dies vivit , quae opinio in foro regnat , rationem medicam non habet , Jeronym. Ernest. Dissert. De lethaliitate vulnerum , Baumer. Medicina forens. cap. VIII. Memoire sur une question anatomique relative a jurisprudence par M^r Louis.*

§. XIII.

Vulneris atrocitatem faciunt , et poenam augent , ^{Atrocia ,}
1) vulneris magnitudo : 2) dignitas , et qualitas ^{et levia.}
vulnerati : 3) locus vulneris : 4) delicti : 5)
arma : 6) caussa et ratio vulneris infligendi , Ord.
lib. 5. tit. 39. §. ult. , l. 8. ff. De injur. Itaque
qui lucri caussa , et pecunia conductus aliquem
etiam leviter vulneravit , capite damnatur , Ord.
lib. 5. tit. 35. §. 3. vers. *E ferindo.* Eadem poena
afficiendus servus , et filius , qui dominum ,
parentemve vulneravit , Ord. tit. 41. , vel quemcumque
alium Rege praesente , tit. 39. in princ. ,
vel qui demum sclopeto , ballistis , et prohibitis
fini-

similibus armis quemquam dolo malo percussit, Ord. tit. 35. §. 4. et 5. Manus amputatur ei, qui, cum in carcere detineretur, eodem comprehensum percussit, Ord. tit. 35. §. 6. Manus similiter absconditur ei, qui in Regia Domo gladium nudavit, Ord. tit. 39. §. 1., et ei quoque, qui Regia in Urbe, vel eo loco, ubi Domus Supplicationis fuerit, aliquem percussit, tit. 39. §. 2. Simplex gladii e vagina educti crimen eiusdem locis commissum ob illorum quam vocant sanctitatem verberibus punitur ead. Ord., et exilio perpetuo in Brasiliam, si in Ecclesia committatur, Ord. cit. tit. 40. Vulnus in facie inflictum exilio, bonorum amissione, et manus amputatione in plebeio coeretur, Ord. cit. tit. 35. §. 7., Phaeb. I. P. decis. 31. et II. Arest. 127. Atrocem injuriam committit, qui in maxillam alicui palmam inflixit, alicujusve membra abalienavit, Novell. 15. Jan. 1652. apud Ord. lib. 1. tit. 58. Collect. I. N. IX. Ord. lib. 5. tit. 122. in princ. ibi: *Sem aleijao.* Qua autem poena puniendus sit, ibidem definitum non est. Summa cutis vellicatio, et laceratio pro injuria levi habetur ead. Ord. tit. 122. in princ. et §. 1.

Haec tamen omnia in usu non sunt, et praesertim Ord. lib. 5. tit. 39. §. 2., quae manus amputare jubet ei, qui alium vel leviter Regia in Urbe, vel ubi Domus Supplicationis est, percussit, (Tit. I. §. ult.)

§. XIV.

De injuriarum actione. Licet autem injurias quascumque in judicio vindicare tam *civiliter*, quam *criminaliter*, Ord. lib. 5. tit. 117. §. 5. ibi: *Poderat demandar suas injurias, e damnos.* Itaque injuriarum actione *civili* petitur damni restitutio, et id omne, quod injuriam passo interest: *criminali* poena publicis, foralibusque legibus statuta.

Bachovius, Huberius, et Boehmerus ad tit. ff. De injur. §. 18., et speciatione in tractatu: *De iniquitate, et injurilia actionis injuriarum cap. III.*, hanc actionem damnant, et omnem vindictam tamquam christiano homini indignam. Sed vindictam cum ultiō confundunt. Ultio est illa vindictae species, quae nullum alium finem habet, quam satiatio animi dolore ejus, qui nos offendit, Pufendorf. de offic. hom. et civ. cap. VI. §. XIII.: quae vindictae species damnatur etiam in jure civili l. 45. §. 4. ff. Ad leg. Aquil. Actio aestimatoria juris Romani ad id, quanti injuriae actor aestimavit, ita in foro observatur, ut non paucum huic estimationi judicis arbitrio relinquatur, Mend. in Prax. lib. IV. cap. XI., França ad eum. *Criminalis ex lege Cornelii de injuriis nullum usum habet.* Eodem libello recte conjungi possunt civilis, et criminalis actio, Ferreira Pratica Crimin. tom. II. tract. III. cap. I. n. 12. 13. 14. et 15. pag. 169. Initio gens nostra, et jam medio aeo ad Alphonsum Regem hujus nominis IV. injurias cuiusvis generis non jure, sed ferro et armis vindicare solebant; his enim temporibus illustres praesertim maxime puduit injurias non propria ulcisci manu; cuius rei exempla quam plurima tradit Wilsonius dans le theatre d'honneur et de chevalerie tom. II. pag. 263. et seq. Ab hac autem consuetudine, et privata vindicta in vitium aliud declinantes sub Alphonso IV. majores nostri recesserunt: eo enim regnante, cum jam aliquo in honore esset jus Romanum, querelis judicialibus, et accusationibus ita omnia perturbata erant, et adeo injuriarum actiones in foro frequentari cooperunt, ut Alphonitus ipse serio existimat e republica esse injuriosis his litibus modum imponere: quod tandem perfecit speciali lege apud Torres Vedras data 12. Mart. aer. 1393. apud Ord. Alph. lib. 5. tit. 59. §. 1. ibi: *E em como a Nos fosse dito tempo ha, que elles novamente usavam das ditas injurias, o que nos nossos Regnos nom era acustumado, querendo tolher essas malicias, quanto a Nos era, hordenámos e posemos por ley, que se algum demandasse outro por injuria, que dissesse que lhe fezera, ou dissera, que nom fosse recebido a essa demanda, ate que desse fidadores, que se nom provasse o que contra elle dissesse, pera lho correger com outro tanto quanto a el seria julgado, se provado fosse o que se el obrigasse a provar contra o demandado, segundo em essa ley he contheudo: o que antes dessa nossa ley nos nossos Regnos se nom usava.*

§. XV.

*Quis or-
do in in-
juriis
verbalis-
bus ser-
vandus.*

Injurias verbales (quod ad *reales* leves producendum) judex de plano cognoscit, non servato juris ordine, easque una cum Decurionibus in Senatu decidit, omni appellatione et gravamine remoto ad summam usque sex mille nummorum, lectis actis coram partibus, si ibi adesse velint, quod notandum est, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 25. ibi: *Os Juizes conheçaõ das feitos das injurias verbaes... e os façaõ conclusos em breve, naõ fazendo longos processos, e sem darem vista ás partes razoarem em final por escripto, e sem lhes darem os nomes das testemunhas para contraditas, os levem á Camara, e os despachem com os Vereadores na primeira vereação... lendo os feitos perante as partes, se abi quizerem estar,* Emm. tit. 44. §. 45. Alph. tit. 26. §. 27. et lib. 5. tit. 59. Atroces autem injurias Judex *Ordinarius* solus cognoscit, ab eoque omnino licet appellationem, vel gravamen interponere, Ord. cit. deducta ex citata Alphonsi IV. lege injuriarum leuum minuendarum causa facta, quae a Petro I., Alphonsi filio, et a Joanne I. confirmata in posteriores Codices translata fuit.

Quamvis nec appellatio, nec gravamen a sententiis in Senatu latissim super injuriis verbalibus interponi possit: admittitur tamen recursus ad Regem, quippe quia nemini denegari debet: is autem effectum, et executionem rei judicatae non suspendit, et ita intelligenda Ordinatio cit. lib. 1. tit. 65. §. 28., Cabed. H. P. decis. 40. n. 15.

§. XVI.

*Actio ad
palino-
diam, et
de retor-
fitione.*

Actio *ad palinodiam*, seu *recantatoria*, quae corruptis populorum moribus originem suam debet,

bet, legibus nostris non probatur: itaque numquam admittenda; turpitudinem enim quandam in se continet, nec ex generalibus obligationum principiis deduci ullo modo potest. Vide, sis, *Covarr. Variar. cap. XI. n. 4.* *Salgad. de Reg. Protect. P. II. cap. IV. n. 169. et 172.* *Grat. forrens. decis. 195. n. 3.* *Peg. tom. 5. ad Ord. lib. I. tit. 65. §. 25. n. 210.* *Retorsio* injuriam verbalem extinguit, vel illius poenam in foro externo minuit, l. 17. §. 6. De injur.

Retorsio, id est, actus, quo injuria verbalis nobis illata in injuriantem refertur, *Struv. de vind. privat. cap. X.*, semper injusta est, etiam in continentia facta: frustra igitur eam *JCti*, et *Theologi* non nulli sub specie defensionis ab impietate, quae hic manifesta est, vindicare tentant: quo pertinent, quae inter *Struvium*, *Frankuchium*, et *Slevogtium* hac de re in lucem prodierunt (§. VI. Not. h. Tit.).

TITULUS IX.

De homicidio.

§. I.

Homicidium in genere dicitur, *factum*, quo homini vita eripitur. Quia vero hoc factum multis modis, id est, *dolo*, *culpa*, *casu*, vel *ex necessitate* contingere potest, homicidium recte dividitur in *dolosum*, *culposum*, *casuale*, et *necessarium*: *dolosum* autem in *simplex*, et *qualificatum*, quod specialem scilicet malitiam continet vel ex modo, et caussa, vel ex personis, in quas admittitur; quo pertinet homicidium *proditorium*, *assassinum*, *latrocinium*, *parricidium*, *infanticidium*, *veneficium*, vel *armis* natura sua *lethalibus*, vel speciatim prohibitis commissum. De singulis more nostro a nobis agendum est.

P ii

Sub

Homicidium
quid, et
quotuplex.

Sub facto etiam non factum continetur. Quare qui scienter gladium tenet, in quem alter non videns irruit, quique alterum morti falso testimonio procurato tradidit, vel alteri alimenta, medicamentave negavit, homicida est.

§. II.

Dolo-
sum qua-
le.

Homicidium *simplex dolosum* vel *directum* est, quando intentio occidendi adest, vel *indirectum*, si non occidendi, sed nocendi tantum voluntas datur cum facto spontaneo illico conjuncta. Quoties de intentione occidendi directa, indirectave non constat, ad instrumentum respiciendum, et ad factum, vel non factum, ex quo mors facile sequi possit, et an homicida id quod fecit, vel intendit, sciverit, Muller Jur. Criminal. tit. I. Ad leg. Cornel. de sicar. §. CLIV. Sect. IV.

§. III.

Culpo-
sum.

Ab homicidio *culposo* abest et occidendi, et nocendi animus, in quo a doloso differt. Illius igitur reus est, 1) qui sine nocendi voluntate veratus est in re illicita, vel licita quidem, sed modo, loco, tempore illico, l. 1. §. 3. Cod. Ad leg. Cornel. de sicar. l. 9. §. 4. l. 11. l. 31. ff. Ad leg. Aquil.: 2) Medicus, vel Chirurgus in morbo, vulnere curando negligens: 3) poculum procurandae conceptionis caussa propinans, ex quo mulier periit, l. 3. §. 2. Ad leg. Cornel. de sicar. Alios casus refert, et longe lateque inter alios prosequitur Carpzovius P. I. Quaest. XXVII. n. 9.

§. IV.

Et quae
utrius-
que
poena.

Homicidii dolosi poena capitalis est, Ord. lib. 5. tit. 35. in princ. Emm. tit. 10.: culposi ex traor-

traordinaria; adeoque pro gradu culpare punientur ex cit. Ord. ibi: *Serā punido, ou relevando segundo sua culpa, ou innocencia*, Alph. tit. 33. §. 7. eod. ibi: *E se achado for, que a dita morte foi per alguū caso sem nenhuā malicia, ou vontade de matar, em tal caso vejase a culpa, em que foi o dito matador, e assy seja penado segundo a culpa, em que for achado.*

Quemadmodum *dolus*, et *culpa* inter se differunt, ita occidendi, nocendive, vel non nocendi animus dolosum, culposumve homicidium constituit. Illud Dionysii lege Ordinatione Alphonsina relata lib. 5. tit. 32. §. 2., quae in posteriores Codices translata fuit, capitale crimen erat, si homicidium fuisset praemeditatum, et ultro commissum: et ita intelligenda verba: *Nom avendo com elle tençom, nem lhe dizendo, nem fazendo por que: adeoque homicidium culposum, repentinum, vel cui occisi insignis protervia, et malitia caussam dedit, impunitum ferme fuit ad tempora usque Joannis I., qui illud pro culpare qualitate puniendum jussit dicta Ord. Alph. §. 7., ex qua hodiernae supra cictatae sunt deducatae. His autem Ordinationibus nec gradus culpare, nec poena aliqua specialis in homicidio *culpoſo* pro illius gravitate decernitur: res enim haec tanti momenti arbitrio judicis relinquitur. Ex homicidio deinde luctum capiebant et fiscus Ord. lib. 5. tit. 36., et occisi parentes, vel propinquui, quibus certa multa addicebatur foralibus potissimum legibus definita, quae hodie in usu non est, et in ejus locum suffecta simplex reparatio damni. Suorum vero caedes familiam laesam olim vindicasse, et armis prosequitam esse homicidam, exempla omnium gentium testantur apud Heinecc. Elem. Jur. Germ. lib. II. tit. XXVI. Grot. de jur. bell. ac pac. lib. II. cap. I. n. 3. (Tit. IV. h. Lib. §. XIII. Not.). In Codice Criminali Pensilvaniae 9. Maii hoc labente anno 1794, promulgato homicidium, quod ibidem dicitur *primi gradus*, capite damnatur: *secundi*, poena carceris, et poenitentia non minus quinquennio ad decem usque supra octo. Primi autem *gradus* vocatur homicidium *praemeditatum*, veneno malo, animo deliberto commissum; vel *repentinum* cum rapina, furto, aediumve effractione conjunctum.*

§. V.

Casuale. *Casuale nullis poenis subjiciendum, et ne ad damni quidem reparationem; nam, quae fortuito contingunt, nemini imputanda. Huc pertinet 1) occisio casu facta, vel 2) ab iis facta, quibus nec dolus, nec culpa imputari potest, vel 3) permittente, aut jubente lege facta, vel 4) ab eis, qui in re licita, et consueto loco, modo, et tempore versati aliquem occidunt, l. 9. §. 4. l. 11. l. 31. Ad Leg. Aquil.*

§. VI.

Necessarium. *Occisio injusti aggressoris pro tuenda salute leviore medio non conservanda *caedes necessaria* ob moderamen inculpatae tutelae vocatur in l. 1. Cod. Unde vi, cap. 18. De homicid., et nullis subjecta est poenis, Ord. lib. 5. tit. 35. in princ. ibi: *Se a morte for em sua necessaria defensao, naō haverá pena alguma.**

§. VII.

De moderatione inculpatae tutelae. *Licita est haec tutela ob defensionem etiam conjugis, liberorum, consanguineorum, et innocentis cuiuscumque, Heinecc. de Jur. Nat. et Gent. lib. 1. cap. VII. §. CLXXXVI. Satis est aut vitae, aut membrorum, aut pudicitiae, aut bonorum amittendorum periculum, Grot. de jur. bell. ac pac. lib. II. cap. I. Pufendorf. de offic. homin. et civ. lib. I. cap. V. *Tutela* autem ut sit *inculpata*, plura concurrent oportet, puta 1) damnum gravissimum leviore medio non evitandum: 2) ut defensio suscipiatur contra offenditionem injustam, et impropositam: 3) ut fiat justo tempore, et*

et modo: 4) ut illico adhibeatur, et in continenti: 5) ut offensioni respondeat, eique, quantum fieri potest, sit aequalis: 6) ut nulla alia expedienda salutis ratio suppetat. Adgressus primum ictum exspectare non tenetur, nec fugere, et descendere, nisi commode, et sine periculo fugam capere possit, Heinecc. §. CLXXXV. Pufendorf. de Jur. Nat. et Gent. lib. II. cap. V. §. 13.

Inculpata, quam vulgo vocant, *tutela* est jus omnibus hominibus competens vitam, corporis integritatem, pudicitiam, bonaque sua contra injustum adgressorem, et quidem, si fieri aliter nequeat, cum hujus etiam internecione vindicandi, vimque injustam justa vi non ultiōnis, sed defensionis causa in continentī repellendi. Hoc autem jus competit adversus omnes, per quos in periculum sine culpa nostra adducimur, adeoque et adversus furiosos, et mente captos: nam, ut bene ait Grotius, jus hoc defensionis non nascitur ex peccato, et injustitia alterius. Illud enim ex natura ipsa atripuimus, hausimus, expressimus, prout eleganter Cicero Oratione pro Milone, quae certe perfectissimum exemplum est defensionis inculpatae tutelae. Quare si cui Advocato defensio rei de homicidio accusati, ac moderamen inculpatae tutelae obtendentis aliquando contingat, ei auctor ego sum, ut Orationem hanc pro Milone legat, et argumenta, quibus Cicero utitur, in scriptum suum, et causam transferat, apteque disponat: nam in hoc genere nihil exstat melius. Malam tamen, et injustam causam, sed diserte, et ingeniole Cicero defendit; jure enim Milo condemnatus fuit.

§. VIII.

Quia vero, uti bene ait Ulpianus in I. 15. Manda-
Ad leg. Cornel. de siccari, nihil interest, occida- tor cae-
quis, an causam mortis praebeat, mandator cae- dis de
dis pro vero homicida habetur, ea sequuta: ita- homici-
que eadem poena puniendus, Ord. lib. 5. tit. 35. dio tene-
in princ.: Qualquer pessoa, que matar outra, tur.
ou mandar matar, morra por ello morte natural.

§. IX.

§. IX.

*De occi-
sione ta-
men non
tenetur,
mandata-
rio fines
mandati
exce-
dente.*

Mandatarii tamen excessus in homicidio, de quo loquimur, mandanti haud imputandus. Itaque qui alicui mandavit, ut Titum vulneret, vel aliquod eidem alapas infligat; ille autem, hausto fortasse vino, ut animum sibi adderet, Titum occidit: mandans de vulnerato tantum, non de occiso tenetur. Nam factum alienum nemini imputari debet, nisi quatenus quis illius reapse particeps, aut causa efficiens fuerit; et ita Pütmannus speciali Prolus.: *De excessu ejus, cui aut verberatio, aut vulneratio alicujus mandata est, mandanti haud imputando.* Et haec satis de homicidio simplici.

§. X.

*Homici-
dium
prodito-
rium.*

Ad *qualificatum* referitur 1) *proditorium* (§. I.) ab amicis, inimicisve commissum sub ficta, et simulata amicitia, et per occultas insidias, quae vix evitari possunt; quod, cum multo atrocius sit, quam *simplex dolosum*, gravius puniri debet, Ord. lib. 5. tit. 37. §. 1. Qua autem poena puniendum Ordinatio non declarat.

§. XI.

*Affassi-
nium.*

Refertur etiam *affassinum*, hoc est, homicidium ex alterius mandato ad occidendum non gratis peractum. Nomen hoc jure civili incognitum Turicum est, illudque historia petit ab Assassini Asiae olim incolis internectione Christianorum infamibus, Paul. Aemil. de reb. gest. Francor. lib. V. Matth. Parisiens. ad ann. 1151. Hujus criminis poena capitalis est tam in mandante, quam in mandatario, caede, aut vulneribus sequutis; et praec-

praeterea utrique manus absconduntur, et bona publicantur, liberis legitimis non existantibus, Ord. lib. 5. tit. 35. §. 3.

§. XII.

Dolosa caedes sine praevia conductione (*in Latrocinium*, quo ab assassinio differt), animo tamen lucri facta, *latrocinium* dicitur, eaque apud nos furca punitur. De variis aliarum gentium poenis videnti Everard. Otto de tutel. viar. P. II. cap. XIX. Heinecc. Elem. Jur. Germ. lib. II. cap. XX., cet.

§. XIII.

Ratione personae homicidium fit qualifica-
tum, quoties inter personas sanguine conjunctas
admittitur; et huc in primis spectat *parricidium*,
quod ad parentum tantum, vel liberorum caedem
proprie refertur. Filius, qui parentem vel leviter
saltem vulneravit, capit is damnatur Ord. lib.
5. tit. 41. §. 1. Eum autem si occidat, graviore
utique poena puniri debet, eam tamen citata Ordinatio non declarat, nec qualem subire debeant
parentes, qui filios occiderunt. Poena juris Romani in l. 9. De leg. Pomp. de parricid. et in
§. 6. Inst. De publ. jud. statuta in usu non est.
Impropius parricidium dicitur, quod in uxorem
committitur, vel virum, fratres, sorores, et re-
liquos consanguineos, aut affines; quorum caedes
pro sanguinis conjunctione, et circumstantiarum
varietate poena ordinaria paulo quidem graviore
punienda; minus tamen quam verum parricidium.

§. XIV.

De infantici-
dio, ex-
positio-
ne, et
abactio-
ne par-
tus.

Pro parricidio igitur habenda, et eodem modo punienda *infantum caedes* ab extraneis, vel parentibus facta, *expositio*, et *abactio* partus: legibus tamen nostris nihil, quod ad haec crimina pertineat, reperio. Infanticida est, qui recens natum in aquam, vel in latrinam projicit, vel lecto suffocavit, aut alimenta, eaque, sine quibus infans vivere non potest, denegavit; vel qui infantem occidendi animo exponit, qui ex circumstantiis praesumitur vel *loci* a via, et transitu hominum remoti, vel *temporis* hiemalis maxime frigidi, vel *modi*, si in loco quidem frequenti, at tectus re turpi, et negligi solita infans sit expositus, Boehmerus ad Carpzov. Quaeſt. X. P. I. Occidendi animum non habet, qui partum, ut alii milereantur, alantque, vel declinandae infamiae cauſa exponit. Qui dolo malo partum licet *animatum*, et *vitalem* abegit, non statim pro vero homicida habendus, et extraordinaria tantum poena puniendus videtur; quia aliud est hominem occidere, et aliud, ne concipiatur, vel in lucem edatur, impedire; dubium enim est, an, et quories femina mater futura fuisset, M.r Bernardi *Principes des Loix Criminelles* tit. V.

Caedes infantum, ac liberorum simplici quovis alio homicidio multo atrocius facinus est: vim enim, et violenter manus ipſi naturae quodammodo infert. Quia vero summus amor, et arctissima conjunctio, quae inter parentes et liberos est, dolum aut excludit omnem, aut minuit, non facile de occidendi animo judex sibi persuadere debet inter personas tam conjunctas: quinimmo, si dicendum quod res est, infanticidio saepe occasionem praebent leges ipsae, quae in mulieres stuprum passas severius animadvertisunt, quod jam alii obſervarunt. Poenitentia, et publica deprecatio a stupri reis olim praeſtanda, metus civilium poenarum, et infamia, quae hodie etiam num, legibus approbantibus, inu-

mulieres ejusmodi miseris sequi solet, in caussa sunt, ut matres illius declinandae gratia humanitatem post tergum relinquant, et matres se esse obliviscantur. Non jam loquor de meretricibus, quae, praeterquam quod rarissime gravidae fiant, infamiam haud timent, sed de feminis honestis, in quas solas stuprum cadit. Severiores sunt leges, ne dicam injustae, quae mulieres graviditatem suam judicii haud indicantes, mortuo infante, capite damnant, *Montesquieu Esprit des Loix lib. XXVI. cap. III.*: quae scilicet illustri feminae (*Comitissac Dubarry*) adeo displicerunt, ut pro puella ex illarum praescripto damnanda litteris ad Cancellarium Parisiensem datis apud Filangieri lib. I. cap. IV. pag. 91. et lib. III. tom IV. cap. L. pag. 413. et seq. haud infeliciter intercederet. Quis enim ab honesta femina, famaeque integrae studiosa facile exspectabit, ut adhuc incerta, an vere gravida sit, partumque editura, se ipsam prodat, ultroque turpitudinem suam apud judicem profiteatur? Quid jure Romano de partus expositione, et de nece infantum in utero sanctum sit, docent *Franciscus Ramos de poen. patricid.*, *Alphonsus Caranza de part.* cap. IV. *Gerardus Noodt in Jul. Paul.*, sive *De partus expositione, et nece apud veteres*, *Bynkershoekius opuscul. De jure occidendi liberos*, et in *amica ad Noodt responsione*. Quando autem partus *formatus* sit, et *vitalis* non facile est definire. Diversas hac in re Philosophorum sententias retulit *Plutarchus de placit. Philosophor. lib. V. cap. XV.*; easdem collegit *Caranza de partu cap. I.*, et *Boehmerus Exercit. XCIX. De caede infantum in utero §. VI. VII. VIII. IX.*, *Haller physiolog. tom. I. cap. III. §. XXXIII.* et *tom. II. cap. I.* Nobis *fætus animatus* dicitur post dimidium gestationis tempus, et motus certos ab infante in utero editos desiderat. Et dicitur *vitalis*, si organis, et membris ita perfectus sit, ut vitam extra uterum matris valeat continuare: non *vitalis*, et tamen *formatus*, si nondum eas vires, et organorum perfectionem habeat, ut vivere extra uterum non possit. De mediis infanticidium praeveniendi plura inter alios habet *M.r Petion*.

§. XV.

Veneficium, quia vix evitari potest, ad ho- De vene-
micidium *qualificatum* recte refertur, et capite ficio.
puniri jubetur, etiam morte non sequuta, Ord.
lib. 5. tit. 35. §. 2.; quod tamen ita intelligen-
Q. ii dum,

dum , si valetudo ejus , qui venenum malum sumpfit , immadicabile damnum patiatur ; nam si ad priorem sanitatem facile restituatur , extra ordinem veneficus puniendus . Veneficum *culposum* pro gradu culpae alia atque alia extraordinaria poena afficitur , *Filangieri* tom. IV. cap. LI. pag. 437. , I. 3. §. 2. Ad leg. Cornel. de sicar. I. 38. §. 5. ff. De poen. De veneficii signis vide , sis , *M. Doublez* in thes. : *An post mortem physica veneni certitudo difficile comparanda? Recherches sur les signes de lempoisonnement apud Bristot Bibliotheb. Philosophb. tom. X. pag. 304.* , *Albert. System. Jurispr. Med.*

§. XVI.

*De homicidio
armis
prohibi-
tis com-
missio.*

Idem dicendum de eo , qui ballistis , fistula ferrea , et armis speciatim prohibitis quemcumque occidit , vel vulneravit ex cit. Ord. lib. 5. tit. 35. §. 4. eodem modo intelligenda. Hic enim , uti in veneficio , ut capitalis poena locum habeat , praecise non requiritur , ut mors sequatur ; requiruntur tamen talia vulnera , ex quibus vulneratus damnum grave , et quod facile reparari non possit , patiatur .

Qui hominis occidendi caussa cum telo ambulabat , ex lege Cornelia de sicariis aequre puniebatur ac si hominem occidisset ; quae lex temporibus illis turbulentis , et mediis in bellis civilibus locum habere poterat , licet eventus non esset sequutus : adeoque hodie in pace , et otio , quo Dei , Regiae , et Principis beneficio vivimus , supervacanea est , et injusta .

§. XVII.

*De ho-
micide
in turba.*

Quum ergo solum homicidium *dolosum* capite puniendum sit , *culposum* extra ordinem (§. IV.) , facile patet quid de homicidio in turba

ba commisso statuendum. Nimirum 1) si plures data opera , et foedere inito ad alterius necem turbam , et motum fecerunt , omnes capite ple-
ctuntur : 2) in rixa subito exorta si quis occisus fuerit , si constat de occisore , ille solus poena ordinaria afficitur ; reliqui pro circumstantiarum di-
versitate arbitrio judicis coercentur : 3) si inter plures singuli vulnera letalia intulerunt , nec il-
le , qui primus mortifere percussit , innotescat , singulos poena ordinaria manet : 4) si de eo , qui vulnus letale inflixit , non constat ; vel si vulnus letale inflixit nemo , sed vulneratus ex omnibus vulneribus conjunctim acceptis ex nimia veluti san-
guinis profusione mortuus est , omnes poenae ex-
traordinariae subjiciuntur , Stryk. *Uſ. mod.* ad tit.
ff. Ad leg. Cornel. de fiscar. §. 7.: 5) auctor rixae , si non fuerit auctor mortis , capite condem-
nari non debet , Berger. *Dissert. De auctore rixae*
§. LX. Boehmer. Elem. Jurispr. Criminal. Sect.
II. cap. XVI. §. CCXXII.

Judicium de letalitate vulnerum primario ex persona ejus , qui periiit , ex illius robore , aetate , et similibus cir-
cumstantiis petendum est. Et hinc consequitur , ut vulnera , quae in robusto homine letalia *absolute* non sunt , (haec enim *semper et necessario* et omnibus vitam adimunt) sed *per accidens* letalia , qualia dicuntur , quae ex testimonio Medicorum sanabilia aliquando esse constat , in homine mor-
boso , senili , et viribus defecto sunt *absolute* omnino le-
talia. Vide , sis , Georgii Ernesti Stahlii , Medicorum in Germania facile Principis , *dissert. De letalitate vulnerum* (Tit. VIII. §. XII.).

TITULUS X.

De delictis moralibus, et politicis.

§. I.

Quae de- **B**Onis moribus speciatim opponuntur delicta
lieta mo- carnis, veluti *adulterium, stuprum, incestus,*
ralia, et *venus nefanda, lenocinium, et ebrietas*, quae
politica. propterea *moralia* dicuntur: *politica*, quae ordi-
ni publico, et interiori civitatis oeconomiae ad-
versantur. Quo nomine cum plura contineantur,
quae hujus loci non sunt, et ampliorem explicatio-
nem desiderant, unum dumtaxat, vel aliud ex-
emplum dabimus; nam omnia percurrere instituti-
ratio non patitur.

Boni mores hic a nobis non accipiuntur *in sensu philosophico*
pro inclinationibus voluntatis per veram virtutem emen-
datae; sed *in sensu vulgari* pro moribus compositis ad regu-
las naturalis pudoris. Enimvero *Cyreniacorum* sententia af-
ferentium pudorem non insitum natura hominibus esse, sed
natum cum civili statu, acceptumque ferri debere praejudicatis
opinionibus, quibus qui in societate vivunt, a
pueris imbuuntur, multis saeculi hujus liberioris ingenii
Philosophis placet: eos autem vel solus *Montesquieu Esprit des Loix* lib. XVI. cap. XII. hac ratione confutat: *Il est de la nature des etres intelligens de sentir leurs imperfections: la nature a donc mis en nous la pudeur, c'est a-dire, la hon-te de nos imperfections,*

§. II.

Adulterium jure Patrio, et Romano est *ali-
quid jure ni tori violatio*, Ord. lib. 5. tit. 25. in princ.:
Patrio, *O que dormir com mulher casada, e que em
Roma- fama de casada estiver*, Emm. tit. 15. in princ.:
Canoni- *Todo o homem que fezer adulterio com algua mo-
co. lber casada, e que em fama de casada estever,*
Alph.

Alph. tit. 7. §. 2.: *Todo o homem que fezer adulterio com alguma molher, sabendo que he casada,*
l. 6. §. 1. l. 34. §. 1. Ad leg. Jul. de adulter. coercend. Jure Canonico *violatio tantum fidei conjugalis* verum adulterium constituit, can. 15. Caus. XXXII. Quaest. V. Et hoc jure vel *duplex* est, quod ab iis qui utriusque in matrimonio vivunt, perpetratur; vel *simplex*, quod solitus cum alterius uxore, vel soluta cum alieno marito admittit.

Leges nostrae hac in parte uti in multis aliis jus Romanum prae Canonico sequutae fuerunt. Itaque ex utriusque mente mulier maritum adulterii accusare non potest, nec adulterii poenis coercendas est in foro externo 1) vir, qui solutam cognovit, vel 2) sponsam; moribus enim recepta non est constitutio Severi et Antonini in l. 13. §. 3. Ad leg. Jul. de adulter. : vel 3) uxorem alienam metrictio more viventem l. 13. §. 2. ff. eod., dissentientibus licet Imperatoribus in l. 22. 29. Cod. eod. tit., Anton. Matth. de criminib. lib. 48. tit. 3. cap. 1. n. 6.: nullo enim in pretio habenda est femina, quae turpitudinem suam palam profitetur: vel denique 4) uxorem honestam, et publice pro nupta non habitam, Ord. cit. ibi: *Mulher casada, e que em fama de casada effiver.* Haec enim duo conjunctim requiruntur, et quod matrimonio juncta sit, et quod pro uxore habeatur publica hominum opinione et fama, Gam. decis. 169.

§. III.

Adulterii poena capitalis est tam in adultero, quam in adultera, Ord. lib. 5. tit. 25. in princ. Poena adulterii et §. 1. Emm. 15. Quae ut locum habeat, plura crimina-
 et §. 1. Emm. 15. Quae ut locum habeat, plura lis.
 requiruntur. Et 1) dolus, et scientia matrimonii: 2) verum matrimonium jure, aut de facto contractum, et publice recognitum, Ord. lib. 5. tit. 26. in princ. ; nam *putativum* satis non est ad poenam ordinariam ex ead. Ord. §. 1. : 3) commixtio seminis utriusque rei confessione probata, et uxoris graviditas, Stryk. Us. mod. ad leg. Jul.

Jul. de adult. §. IV.; metu namque suppositi partus gravior haec poena statuta videtur. Plures et aliae caussae sunt, ob quas poena ordinaria cefsat, et extraordinariae locus fit, veluti si conjux adulterab adultera descitus sit; si conjux, qui adulterium accusat, ipse in eodem reatu sit; si morbus diuturnus conjugem impediverit, quo minus conjugis officio in toro fungeretur, cet. ab Interpretibus gravioris hujus poenae minuendae gratia si non jure, humaniter saltem excogitata.

Quae Romanorum, et aliarum gentium legibus poena adulterii sit, scire nihil interest. Jure nostro adulterium voluntarium impunitum serime erat, nec legalibus ullis poenis, sed privatae tantum vindictae subjiciebatur ad tempora usque Dionysii Regis, uti ex illius speciali lege constat 9. Septembr. aer. 1350. data apud Ord. Alph. lib. 5. tit. 12. Alphonius IV. filius, eadem abrogata, adulterium sponte licet commissum in nobilibus amissione bonorum, quae a Rege adulter habebat, privavit: humiliores autem, et plebeios capite damnavit, Ord. Alph. lib. 5. tit. 7. §. 2. ibi: *Porque somos certo, que em tempo dos Reyx, que ante nos foram, e nosso atao ora se usou nos nossos Regnos, que por fazerem algans adulterios com motheres alheas nom lhes davam porem penas de justiça, salvo se algumas levavam essas mulheres alheas donde as tinham seus maridos, pera fazerem com ellas adulterio, segundo he contheudo em húa ley, que sobre esto fez EI Rey Dom Donis nosso Padre, a que Deos perdoe; e nos, por tolher este mal, que he muy grande, e outros muitos males, que se ende seguem, pelos usos e custumes, que sobre esto as nossas justiças ataa qui guardaram, avudo conselho com a nossa Corte, e com Prelados, e com homens fidalgos de nosso Senhorio, establecemos, e poemos por ley, que daqui em diante todo homem, que fazer adulterio com alguma mother, sabendo que he casada, se for homem Fidalgo, que tenha maravidys de nos, ou de rico homem, por seer seu vassallo, perca o que de nos, ou de rico homem tever, e quanto ouver, e seja daquelle, a que fez o torto; e seja deitado de nosso Senhorio: e se per ventura aquelle, a que o torto for feito, nom quiser estes becs, aja-os a Coroa do Regno. E se for outro homem o que esto fezer, moira porem. Posterioribus autem Codicibus poena capitalis indiscriminatum statuitur, nisi quod Nobiles eidem non subjiciantur sine speciali Regis mandato. Enimvero haec*

haec poena in crimen, quod in ipsa natura excusationem habet, plus justo severior esse videtur, *Filangieri* tom. IV. edit. Neapolit. 1783. lib. III. cap. XLVII. tit. VI. P. II., cet.

§. IV.

Uxoris praeterea bona adulterii poena ordinaria damnatae maritus omnia lucratur, filiis legitimis, aut naturalibus non extantibus, qui eidem possint succedere, Ord. lib. 5. tit. 25. §. 6. et 7. in princ.: quae si fuerit absoluta, adulterio non probato, omnia similiter mariti bona lucratur, liberis non extantibus, Ord. cit. §. 7. vers. *E se a mulber for absoluta.* Jure Romano adulterio donationem propter nuptias adulterato etiam amitterebat, l. 11. §. 3. Ad leg. Jul. de adult. l. 8. Cod. De repud. Novell. 117. cap. 8.

§. V.

Hoc autem delictum cum praesertim privatam mariti injuriam contineat, ei soli, et non aliis de adulterio uxorem suam accusare licet, Ord. lib. 5. tit. 25. §. 3. Non admittuntur ergo pater, fratres, consanguinei, vel extranei quicumque; nec judex ipse ex officio, vel rogatus inquisiciones ullam five generales, five speciales super hanc habere potest, Ord. cit. §. 3. Diplom. 26. Septembris 1769. Excipitur adulterium *duplex*, quale hic est cum Iudeo, Mauro, consanguineis, vel adfinibus in gradu prohibito cominissum, quod accusare quisque potest, Ord. cit. §. 2. vers. *E sendo, et §. 3. vers. Salvo mostrando-se.*

Haec exceptio locum hodie habere non potest post citatum Diploma 26. Septembris 1769., quod omnem de adulterio accusationem nullam proflus, et irritam declarat, nisi ad mariti petitionem instituatur. Enimvero ratio regulae, et generalis prohibitionis, quae in privatis discordiis tollendis,

Tom. V.

R

dis, et familiarum honore consistit, in exceptione aequae viget. Adulterium cit. Ord. *simplex* vocatur ex simplici commixtione adulterina, *duplex* ex qualificata cum Judaeo, aut consanguineis; adeoque alio juris Canonici sensu.

§. VI.

Et adul-
terae
condon-
nare.

Quia vero adulterium privatam praesertim injuriam continet (§. V.), inde consequitur, ut maritus solus eamdem condonare possit, et veniam delicti uxori facere etiam post sententiam condemnatoriam, quo casu delictum extinctum dicitur, et mulier e carceribus statim liberanda, et absolvenda ab omni culpa, et poena in favorem matrimonii, sive adulterium *simplex* dicatur, sive *duplex*, Ord. lib. 5. tit. 25. §. 2. et 4. in fin. Venia uxori data adultero etiam prodest; eum enim liberat a poena ordinaria: immunem tamen eumdem non reddit ab omni poena, eidem licet expresse concedatur, Ord. cit. §. 4. Quocumque autem modo de remissione constet, sive expresse per scripturam, aut testes, sive tacite, veluti per receptionem in mensam, et thalamum, mulieri prodest, et accusatio remissione extinguitur, sive pura ea sit, sive conditionalis, Gam. decis. 368. Barbos. ad leg. 2. in princ. ff. Solut. matrim. n. 13. 14. et 15. P. I. Transactio quoque in ipso adulterio admittenda (Inst. de obligat. et actionib. Tit. II. §. XIII. et XIV.).

Excipitur Ord. cit. §. 2. vers. *E isto* adulterium *duplex*, hoc est, cum Judaeo, aut consanguineo adinsum: nam tunc remissio mariti liberat quidem uxorem a poena adulterii, ab incestus autem poena non liberat, et propterea puniri potest. Haec tamen exceptio, ut jam supra monimus (§. V. Not.), post Diploma 26. Septembr. 1769. locum non habet. Namque hujusmodi incestus ab adulterio separari non potest, neque uxor de incestu accusari, quin adultera eadem accusatione dicatur, quod jus nostrum, marito incho et repugnante, non patitur, neque debitus patrifamilias honos.

§. VII.

§. VII.

Morte quoque mariti ante litem super adulterio contestatam accusatio extinguitur, Ord. lib. 5. tit. 25. §. 5. Aliter autem se res habet, si ea contestata moriatur: quo casu pater, frater, ceteri, quorum meminit lex 30. Cod. Jul. de adulter., aut judex ex officio accusationem inceptam prosequitur, ead. Ord., Barbos. loc. cit. n. 116. 117.

Ordinatio cit. §. 5. deducta fuit ex Senatus Olisiponensis Deliberatione 11. Mart. 1568. apud Leon. 3. p. tit. 1. l. 15., quae pro fundamento habet jus Romanum, quo attento, actiones poenales a principalibus personis contestatae heredibus dantur, et contra heredes tranleunt. §. 1. Inst. De perpet. et temporalib. act. in fin. Quae doctrina, utut hoc jure vera sit, quippe quia in adulterii accusatione non solum maritum, sed conjunctas alias personas admittit, nostro accommodari non potest, cum nullum praeter maritum accusatorem admittat. Quod si licentia adulteram accusandi, vivo marito, concessa est nemini, eo excepto: quomodo, quaelo, eodem mortuo, concedenda est? Et nihil facienda differentia, an lis contestata sit, nec ne. Nam ratio civilis, quod in judicio quasi contrahitur, et inde nova obligatio oritur, quae ad heredem transit, mera subtilitate nititur.

§. VIII.

Porro vindicta privata marito conceditur, et facultas adulteram, et adulterum, vilioris tamen conditionis, tam domi suae, quam alibi deprehensos occidendi, et amicos quoque, et socios convocandi tanti facinoris caussa perficiendi, Ord. lib. 5. tit. 38. in princ. et §. 1. et 5. Emm. 16. Alph. 18. Haec autem facultas marito tantum fuit data; adeoque pater eam non valet in filiam, quae per matrimonium ejus potestate liberatur, exerce-

cere, quod secus est jure Romano l. 20. l. 21.
l. 22. §. 2. 4. l. 23. in princ. l. 24. in princ. et
§. 1. Ad leg. Jul. de adult. ; neque maritus eam-
dem patri, filio, et aliis concedere, quamvis eos
convocare, et tamquam socios adhibere possit:
nam quae extraordinaria sunt, et speciali jure com-
petunt, aliis cedi, et demandari non possunt.

Credo ego neminem hodie inter nos existare, qui Ordinationem citatam serio defendere audeat. Nam primo occi-
fio adulteri, et adulterae non solum impunis in foro ex-
teriorum, sed honesta, et licita ibi dicitur; quod non ita est,
Covarruv. de matrim. p. 2. cap. 7. §. 7. n. 15. Deinde
quid ineptius distinctione illa nobiles inter et plebeios?
Quasi non omnibus hominibus aequale jus competit ad injurias
suas vindicandas, vel ignobiles teneantur injurias a nobilibus
fillatas pacifico animo tolerare. Et quid dicendum de facul-
tate adulteros impune occidendi non dicam jam domi,
vel in propria turpitudine deprehensos, qui casus (per
me licet) non facile marito imputandus, justum enim do-
lorem temperare difficultimum est; sed ex intervallo, quovis
loco, et tempore. Quid vero de jure homines protervos
licet, et malignos advocandi ad miserae uxoris, et adulteri
internecione, tamquam si belluae feroce essent, perficiendam,
modo illorum inimici non sint? Illud praeterea
ead. Ord. §. 2. marito, qui adulteram et adulterum simul
deprehensos occidit, concessum fuit, ut uxoris bona omnia
lucetur; si vero ex intervallo, adquisita tantum constante
matrimonio. Rationem differentiae assignat Barbosa ad l.
Si ab hostibus ff. Solut. matrim. n. 63.: quam quidem ego
vix intelligo, cum uxoris internecio, sive flatim, et in
continenti, sive ex intervallo fiat, lege permittente fiat.
Quocunque autem modo se res habeat, certum est prae-
mium hic a lege dari pro *uxoricidio* perpetrato, et dari in
praejudicium heredum, qui ab intestato succedere debabant.

§. IX.

*De biga-
mia.*

Crimen *bigamiae simultaneae adulterii* spe-
cies est gladii poena puniendum, Ord. lib. 5. tit.
19. in princ. Emm. 19. Alph. 14. Bigamiam pro-
prie committit, qui, conjugæ superstite, aliam
ducit, et dolo malo cognoscit: adeoque conjux

XXV. annor. minor , vel major , qui , quaeve bona fide , et errore deceptus , vel justa ignorantia lapsus ad secunda vota transiit , aut nobilis , qui uxorem inferioris conditionis sibi matrimonio clam adjunxit , prima vivente , extraordinaria poena plectendus , vel saltem ordinaria sine Regis speciali mandato afficiendus non est , Ord. cit. §. I. (Inst. de Jur. Personar. Tit. V. §. XII.).

Poena capitii statuta fuit Dionysii lege Olisipone data 11. Aug. aer. 1340. , ex qua deducta fuit Ordinatio cit. in princ. : haec autem poena , nimis quippe dura est , inciso Rege executioni mandari non potest , quod ab Oduardo Rege primum constitutum fuit , et hinc originem suam habet dicta Ordinatio §. 1. In hoc crimine utpote mixtifico , ut vocat Ordinatio lib. 2. tit. 9. , praeventio locum habet , Decret. 26. Maii 1689. apud Ord. lib. 5. tit. 19. Coll. II. N. I. Specialibus tamen Inquisitionis legibus a Josepho I. in specifica forma confirmatis , cum hic quaestio de validitate sacramenti matrimonii haberri possit , illius cognitio ad fidei tantum Quaesitores spectat , et poena extraordinaria punitur : et hoc jure utimur. Apud Romanos certam et determinatam poenam non habebat , Thomasius de criminis bigamiae §. LXX.

§. X.

Stuprum violentum *huc non pertinet* (Tit. Stuprum IV. §. XVI. XVII.). Ad *simplex voluntarium* quod attinet , post Novellam Constitutionem 6. Octobr. 1784. §. 9. hoc jure nos utimur. Et 1) quidem virgo stuprum passa major ann. XVII. si ne vi oblatum , vel vidua honesta ejusdem aetatis , nullam criminalem accusationem habet adversus stupratorem , neque civilem actionem ad eam dotandam , vel ducendam : consentienti enim , et volenti nulla sit injuria : 2) ad petitionem tamen parentum , tutorum , curatorum , fratribus stuprator arbitrio judicis *criminaliter* tantum condemnari potest , ab eoque exilio in Africam , vel Asiam quin-

D. 34 July. 1772

quinquennio saltem multandus : itaque 3.) judex
hoc de crimine *ex officio* cognoscere prohibetur ,
nec valet super eo ullam inquisitionem instituere ,
stante dicta Novella , ibi : *A qual só se procederá
a requerimento dos pays , tutores , curadores ...
e irmãos.* 4). Qui vero puellam minorem annis
XVII. vitiavit , tam ad illius , quam ad parentum
petitionem instituta *querela* , in Africam , vel Asiam
relegatur , et ad eam tantum dotandam , non praecise
ducendam pro ipsius qualitate obligatur . Gra-
viores igitur poenae in stupratores statutae Ord.
lib. 5. tit. 23. Emm. eod. Alph. tit. 9. et 10. et
a Josepho I. Novella 19. Jul. 1775. in vigore ho-
die non sunt .

Nullam autem poenam adversus virgines stupratas jure
nostro statutam ego invenio. Idem de jure Romano ; nam
lex 20. Cod. Ad leg. Jul. de adulter. intelligenda est de
illis tantum feminis , quae cum pudicitia pudorem etiam
amiserunt , et sine delectu in amplexus veneros ruunt ;
nequaquam autem de iis , quae cum minus debiles blandi-
tiis resistere haud possent , primae culpae non sine vi aliquia
succubuerunt. Enimvero graviditatis molestia , partus do-
lores , onus alendae prolis , et macula , quae eisdem ju-
re , vel injuria inhaeret , et spem honeste nubendi adimit ,
tantopere miseris has mulieres afflidunt , ut jam poena
ulla hic plane non sit opus , uti bene ait Püttmannus Dis-
sert. XII. inscripta : *Leges ineptae criminum caussae.* Haec
cum ita sint , Ordinationem lib. 4. tit. 88. §. 1. et cita-
tam Novellam 19. Jul. 1775. , quibus filiae familias stuprum
volenter passae paterna hereditate , et alimentis privatur ,
ego de iis tantum intendo , quae meretriciam vitam agunt ,
vel in publico sunt concubinatu (Inst. de Jur. Rer. Tit.
V. §. XLIII. num. 13.) .

§. XI.

Variae
stupri
species.

Specialem tamen turpitudinem continet , adeo-
que gravius puniendum stuprum a judice puellae
illatum apud eum jus suum prosequenti , Ord. lib.
5. tit. 20. ; vel alterius sectae , et religionis femi-
nae ,

nae, tit. 14., vel a servo filiae, sorori, consanguineae, ancillaeve illius, quocum vivit, tit. 24.; vel a tutele minorenni fidei suae commissae, tit. 21.; vel in Regia perpetratum, tit. 16. Plus autem justo haec delicta citatis Ordinationibus coercentur, quae hodie litterae, et menti Reginae Fidelissimae Novellae Constitutionis 6. Octobr. 1784. omnino sunt accommodandae.

Difserit a stupro *vaga venus*, et *simplex concubitus*, cuius mentio nulla sit in tribus publicis Regni Codicibus: adeoque nullis externis poenis coercetur; quinimmo in Alphonsino lib. 5. tit. 24. §. 1. scriptum legitur: *E de mais seer outorgado em direito, que os homens solteiros podem ter barregas, e ainda que os filhos, que dellas nacem, herdarão os bens dos Padres; e per tal custume se da ousança, que as ditas mulheres roubarão esses, com que vivem, do que seem, poisque per tal custume Ihes nos ha de seer demandado; e ainda se virão pera os homens com engano desto: seja vossa mercê revogar tal custume: ca maior dâpnō he roubarém o alheo, e perigoo das suas almas, que viver hum solteiro com húa solteira em ajuntamento carnal.* Quae ita intelligenda, non quod similis concubitus licitus sit jure naturali, vel civili; sed quod delictum verum non sit Reipublicae, et civibus noxiū, sed peccatum in civitate ob politicas rationes, et majoris mali evitandi causa permisum, ac toleratum. *Qualificatus autem, veluti uxoris cum viro legitimam uxorem habente, vel sacrilegus cum Clerico, aut Monacho, mulcta, relegatione, et poenis aliis punitur Ord. lib. 5. tit. 27. 28. 30. deducta ex Joannis I. lege Comitiis Bracharensibus ad Episcoporum petitionem data aer. 1433. apud Ord. Alphons. lib. 5. tit. 19. (Inst. Jur. Public. Tit. V. §. XLVIII.). Exfilio in Africam, et fustibus plectuntur, qui feminas in meretricio venales habent, de earum lucro participantes (raffiaēs), Ord. lib. 5. tit. 33. Emm. 30. Alph. 22. Vid. Mably Principes de Morale tom. X. lib. III. pag. 345. et seq.*

§. XII.

Incestus juris gentium inter ascendentēs et Incestus; descendētes ignis poena coercetur Ord. lib. 5. tit. 17. in princ. Emm. 13.; juris civilis, cum foro-

forore, nuru, aut noverca admissus gladio punitur Ord. cit. §. 1.; cum amita, materterave, vel amitina, et reliquis remotioris gradus consanguineis relegatione temporali in Africam, vel Brasiliam §. 2. et 3. praefat. Ord., quae ad mentem quoque Mariae I. Novellae Constitutionis attemperanda hodie est. De incestu Ordinatione Alphonsina speciali titulo non agitur.

§. XIII.

Venus **nefanda.** *Nefanda venus*, quam scire nihil prodest, *ubi* scilicet *sexus perdit locum*, vel *ubi venus mutatur in aliam formam*, uti loquuntur Imperatores Constantinus et Constans in l. 31. Cod. Ad leg. Jul. de adulter. , legibus nostris punitur poena ignis, bonorum amissione, etiam liberis existentibus, et infamia, quae ad filios ipsos, et nepotes producitur Ord. lib. 5. tit. 13. in princ. et §. 1. Emm. 12. Admittuntur hoc in criminis delationes secretae, tormenta, et testes singulares, quorum nomina, et dicta reo pro arbitrio judicis manifestantur: praemium deinde delatori datur, et impunitas promittitur ei, qui turpitudinis suae socium detulerit; et omnes denique sub poena publicationis bonorum accusare jubentur quemcumque nefandae hujus libidinis reum esse sciverint, Ord. cit. §. 4. 5. 7. 8. cet., quae in criminis laesae majestatis locum habent. Qui cum bestiis hoc crimen committunt, vivi conburio plectuntur: illorum tamen filii nullam incurront injuriam, nec paterna bona amittunt ead. Ord. §. 2.: adeoque *sodomia generis*, ut vocant, tamquam si foret levius delictum (est autem multo gravius), mitius, quam *sexus* praefata Ordinatione punitur. Quae sine concubitu turpiter et contra naturam admittuntur, exilio ad triremes coercetur §. 3.: graviores

JURIS CRIMINALIS LUSITANI. 137
tes alias poenas statuit Extravag. 12. Octobr.
1606. apud Ord. cit. Coll. I. N. II. (Tit. I. §.
XXIX.).

Masculae veneris usus, cum fere genti nostrae esset in-
cognitus antiquis legibus usque ad Alphonsum V., qui pri-
mus ignis poena illum affecit Ord. lib. 5. tit. 17., non
invenitur prohibitus. Emmanuel Ord. cit. monstruosam hanc
venerem tamquam laesae majestatis crimen habuit, a quo
multo civiliter distat: itaque in eo singularia jure, vel in-
juria statuta ad crimen hoc nefandum, quod qualemcum-
que excusationem habere videtur, traduxit; quem postea
in tanta poenatum acerbitate non modo sequutus fuit, sed
longe superavit Philippus II suo Codice tit. 13. Jam ve-
ro poenae ignis, publicationis honorum, et infamiae in fi-
lios et nepotes injustae protulit, et crudeles (Tit. I.
§. XV. et XXIX.). Coitionis cum bestia nulla in Alphon-
sino Codice, sed in posterioribus tantum mentio fit: queis
tamen vivicorum non in bestiam, cum nullius poe-
nae capax sit, sed in eos solum decernitur, qui simile fla-
gitium fecissent. Jure divino malier, quae succubuerit cinqüe
jumento, simul interficitur cum eo, cap. XX. Levit. vers.
15. et 16., Augustinus in lib. Quaest. ad Levit. a Gratia-
no relatus can. 4. Caus. XV. Quaest. I. Berard. in canon.
III. P. cap. XXIX. Sect. I. Renazzi Elem. Jur. Cri-
min. lib. I. cap. VII. §. X. Paforet. II. P. cap. III.
Art. VI. tom. I. et in libro inscripto: Moïse considérâ
comme Legislatur, et comme Moraliste cap. V. §. IV. pag.
442. Alia exempla ex Draconis, et Solonis legibus dabit
Pardulphus Pratejus in Jurisprud. veter. apud Otton. tom.
IV. pag. 381, ipseque celeberrimus JCtus de tutel. viar.
pag. 469. Hujus autem criminis cognitio, quamvis mixti
fori dicatur, ad Sancti Officii Quaesidores spectat, ubi be-
nignius, quam in saeculari punitur, Diplom. 18. Jan.
1614. apud. cit. Ord. Coll. I. N. I.

§. XIV.

Qui *mercales* habent uxores, uti eleganter Lenoci-
loquitur JCtus in l. 5. Cod. De condic. ob turp. nium.
caus., cornigera cum corona flagellati perpetuo in
Brasilian relegantur, Ord. lib. 5. tit. 25. §. 9.
Emm. 15. §. ult. Eamdem ferme poenam incur-
Tom. V. S runt,

runt, qui mercales quoque habent filias, illarumque pudicitiam prostituere non dubitant, Ord. lib. 5. tit. 32. §. 4. Emm. 29., vel virgines Deo sacratas, vel non sacratas, aut viduas honestas, Ord. cit. in fin. princ. et §. 1. Alienas vero uxores solicitantes, vel filiam, sororemve illius, quocum vivunt, vel feminam christianam Judaeo, vel alterius sectae homini, capite damnantur ead. Ord. tit. 32. in princ. et §. 2. et 3. Poena ordinaria delicti in lenocinio tantum *quaestuario*, quod lucri causa fit, locum habet; nam *gratuum*, vel *intentatum*, fine tamen, et effectu destitutum, extra ordinein, veluti relegatione punitur ex saepius dicta Ord. tit. 32. §. ult.

Crimen hoc detestandum, et cum maximo humani generis detimento conjunctum, publicis legibus impunitum fuit ad Alphonsum bujus nominis IV., qui primus lenones, et lenas amissionis bonorum poena, et fustigationis affectit: capitibus autem iterum delinquentes damnavit, Ord. Alph. lib. 5. tit. 16. Graviores poenas statuit Joannes I. ead. Ord. relatas §. 2., ex qua posteriores sunt de prompta, quae propter nimiam acerbitatem, delicto enim haud respondent, in usu non sunt (Tit. I. §. XXIX.): quin immo (quod dolendum) tantum, taleque flagitium nec justis et debitibus poenis pro laxa saeculi in deterius ruentis disciplina hodie vindicatur. Per lenocinium *gratuum* nobilitas non amittitur, Ord. lib. 5. tit. 32. §. 4.; secus per *quaestuorum*, Ord. eod. lib. tit. 138. §. ult., quae hoc modo omnino intelligendae. Alter *Vallatc.* allegat. 13. n. 122.

§. XV.

Ebrietas.

Simplex ebrietas crimen morale est, non politicum, et civile. Per vinum autem lapsis poena ordinaria delicti an omnino remittenda sit, an mitiganda, vel augenda? Leges nostrae non determinant: qua in re non idem est Philosophorum, et legumlatorum judicium (Tit. I. §. VI. num. 2.).

§. XVI.

§. XVI.

Factum, quod directe nec Rempublicam, nec cives offendit, aut in consequentiam offendere potest, ideoque a lege prohibitum, vocatur *delictum politicum*, cuius non una species est (§. I. h. Tit.). Hoc autem, cum natura sua, nisi alia concurrent, innocens sit, et licitum, (eo excepto, quod bonos mores, et verecundiam laedit) impune est, lege et prohibitione cessante; bene tamen potest a civitatis rectore, cui magnum inde periculum imminet, prohiberi. Quo pertinent leges omnes otium, ludos, mendicitatem, immoderatos sumptus, et armorum usum prohibentes, cetera, quae bene ordinato *Systemati Oeconomico-Politico* adversantur. Vide, sis, *Institutiones nostras Juris Publici* Tit. X.

Rem hanc, quae ampliorem tractatum desiderabat, unotantum, vel alio exemplo pro instituti ratione explicare juvat. Carcerem includuntur mendicantes bene valentes sine Regis, vel Politiae Administrari licentia, Ord. lib. 5. tit. 103. Novell. 25. Jun. 1760. §. 18. 19. otiosi homines carcerare, exfilii, fustibus pro illorum qualitate puniuntur, Ord. tit. 68. cum similibus. Masculus muliebri ueste indutus, vel femina virili, vel qui, quaeve in spectaculis, et diebus festis larva caput in sui dissimulationem velaverit, fustibus, exfilio, et multa coercetur, Ord. eod. lib. tit. 34. Graviores poenas sustinent, qui armis prohibitis utuntur, Ord. tit. 80. Novell. 24. Maii 1749. cap. 14. Dipl. 21. April. 1652 ann. Quae Ordinationes frustraneae semper erunt, et inutiles otio, et mendicitati eliminandae, nisi media facilia publice subministrentur, quibus homines ad vitam necessaria possint vultus sui sudore comparare. Haec enim mala non sunt hominum vitia naturalia, sed extrinsecam causam habent, *Filangieri* tom. IV. cap. XLVII. tit. VII.

TITULUS XI.

De quasi delictis.

§. I.

Quasi de-
lictum.

HAECENUS de *veris delictis*, quibus opponuntur *quasi delicta*, hoc est, facta illicita sola culpa, sine dolo admissa (Tit. I. §. III.). Factum igitur illicitum dolosum, *delictum*; culposum, *quasi delictum* JCTi appellant, §. 3. Inst. De leg. Aquil.; quam differentiam in legibus nostris passim animadvertere licet, Ord. lib. 4. tit. 76. §. 5.

§. II.

Culpa a
dolo dif-
fert.

Culpa (utimur verbis Grotii de jur. bell. ac pac. lib. III. cap. XI. §. IV. n. I.) *aetio neque mere scientis est*, et *volentis*, qualis est, qui dolo agit, *neque mere aut ignorantis, aut inviti*: proindeque dolus sceleri tribuitur, culpa vero imprudentiae. In dolo itaque perpetuo inest improbum delinquendi propositum; culpa vero est ex segnitie, negligentia, vel simplicitate, quae semper comitem habet imprudentiam.

Aristoteles Moral. lib. V. cap. X.: *Si ita praepter id, quod expellari petuit, damnum detur, erit infortunium. At si ita, ut expellari, ac praevideri aliquo modo potuerit, sed non impetrabo animo, culpa erit aliqua: nam culpa aduersa est, qui in se habet agendi principium: qui vero extra, infelix. Bene eriam Seneca de Ira. I. XVI.: Delictum in duabus non eadem modo (sapient) afficit, si alter per negligentiam admisit: alter curavit, ut nocens esset.*

§. III.

§. III.

Est autem culpa alia alia gravior, et tot sunt ^{Quot illius gradus.} ejus gradus, quot diligentiae. Eam autem juris Romani interpres dividunt in *latam*, *levem*, vel *levissimam*, prout diligentia, cui opponitur, vel *minima*, seu infima est, *media*, vel *maxima*, Vinn. ad tit. Inst. Quib. mod. re contrah. obligat. §. 2. n. 7. ceter., quibus jungendus Genuensis lib. I. cap. IV. §. XVII. de jur. et offic. Quid vero de hac divisione, et exemplis, quibus illustrari solet, sentiendum, jam alibi diximus Institutionibus nostris lib. IV. Tit. III. §. V. Not. Illud tantum hujus loci est inquirere: an quasi delicta pro culparum gravitate, qualitate, et differentia, puniri debeant gravius, vel remissius? Quod omnino affirmandum. Idem de veris delictis dicendum pro gradu malitiae.

In delictis, vel quasi semper inspiciendum, utrum proposito, an impetu quid admissum sit, et in primis an justus dolor, et causa justa, vel probabilis impetum concitat, l. 11. §. 2. De poen. Nam, ut Cicero de Offic. I. §. VIII. ait, *leviora sunt, quae repentina aliquo motu accident, quam ea, quae meditata, et praeparata inferuntur*, et Plato de Legib. Dial IX.: *Majora supplicia illis decet imponere, qui consulto per iram interfecerunt; illis contra, qui repente, et inconsulto, leviora.* Nempe quod graviori male simile, asperius; quod vero leviori, mitius puniendum (Tit. I. §. VI.).

§. IV.

Illud etiam extra omnis dubitationis aleam ^{Quae} positum est, non eodem modo injuriam, hoc est, ^{poena in-} delictum, quod dolo malo, et dedita opera im- ^{quasi de-} probi inferunt homines, et culpam, quæ ex impru- ^{dictis ob-} dentia quis peccavit, esse puniendam. Quare pa- ^{tineat.}
rum

rum abest, ut existimem in quasi delictis culpa et negligentia contractis pecuniariam tantum poenam, non corpus affligentem, nisi speciali lege sit praeter ordinem statuta, locum habere posse, Anton. Matth. ad tit. De poen. cap. IV. n. 11. Renazzi Elem. Jur. Criminal. lib. I. cap. VI. §. IV.

§. V.

Casus
non
praesta-
tur.

Quaecumque autem casu evenere delicta, quem nullum potest providere humanum consilium, ea nequeunt hominibus imputari; sed adscribuntur fortunae, ut inquit Poeta, in homines peccanti. Unde monet Tullius Tuscul. III. 16. *culpam nullam esse, cum id, quod ab homine non potuerit praefarsi, evenerit* (Tit. I. §. VI.). Hinc inter Graecos vetus, et celebre Oraculum: *Carunt occidisti, dum vis succurrere, nullum crimen habes, manus est tibi purior, ac fuit ante.*

Caedes tamen fortuito licet casu admissa haud proflus olim videtur impunita. Samuel Petit. ad Jus Attic. lib. VII. tit. I. hanc ex Platone, et Pausania legem excerpit: *Qui alienum casu fortuito necasset, extra fines patriae annum exsil esto.* De Romanis videndum Quintilianus lib. VII. Inst. cap. IV. Sed poenae hujusmodi non propter delictum interrogabantur, sed praescriptae ideo erant, ut homines illud odio haberent, cautores fierent, et ad animadverendum in agendo excitarentur. Etiam antiquis Ecclesiae canonibus, quos collegit Antonius Augustinus, lib. XXXV. tit. 6. habentur in fortuitum homicidium impositae poenitentiae, ut qui suo facto, licet involuntario, alios movit ad peccandum, poenitentiae, et emendationis testimonio eos revocaret ad bonam frugem, Gonzalez in cap. 2. De homicid. n. 13.

§. VI.

Nisi sit
culpa
conjun-
ctus.

Quod si casus fuit cum culpa conjunctus, aut culpa ei causam praebuit; jam non fortunae, sed

sed illi tribuendus , qui satis , ut par erat , non cavit , aut in re illicita , quod nefas , aut in licita , sed non oportune versatus est. Itaque criminis , quod inde fuit sequutum , non omnino expers erit ; illud enim sua culpa contraxisse videotur : et hoc sensu verum est , quod tradit Marianus in l. Perspiciendum II. §. 2. , casu etiam delinqui.

Huic rei illustrandae haec , et similia exempla adduci solent , quae in jure naturali , et civili fundamentum habent. Atheleta , qui in stadio forte colluctatorem occidit , sua culpa casui causam dedit : non enim id agere debebat , ut interficeret , sed ut vivum humi prosterneret , vinceretque , l. 7. §. 4. Ad leg. Aquil. Qui vicini armentum e campo fugavit , quo factum , ut pecudes metu actae in foveam forte incidentes perirent , non caret culpa : quis operam navavit rei illicitae. Miles , qui tempore vigiliarum , aut alio in loco , quam qui ad exercitandum datus est , dum jaculis ludit , praetereuntem traejicit , casum praefat : in culpa enim est , quod licetiae alioquin rei operam dedit alieno tempore , et loco §. 4. Inst. De leg. Aquil. Item putator , qui ex arbore dejecto ramo transeuntem occidit , si prope viam publicam id factum est , neque proclamavit : ut casus evitari posset , culpae reus est , §. 5. Inst. eod.

§. VII.

Quamvis omnia maleficia culpa commissa quasi delicta recte quidem appellari possint ; specia-
tim tamen hoc nomine vocantur , 1) factum judi-
cis item suam facientis , hoc est , male judican-
tis non dolo , et sordibus , quo casu verum deli-
ctum committereret , sed ex imperitia et ignoran-
tia , princ. Inst. De obligat. quae ex quasi delict.
nasc. Itaque si contra jus expressum et Ordinatio-
nes allegatas ex imperitia judicavit , viginti au-
reis damnatur , et ab officio removetur , Ord. lib.
1. tit. 5. §. 4. In litis etiam expensis pro culpae ,
et negligentiae gradu condemnari potest , Ord.
lib.

lib. I. tit. 65. §. 9., Vallasc. Consult. XXVI., et tandem actione *ex judicatu* tam civiliter, quam criminaliter accusari, Ord. lib. I. tit. 60. Emm. 41. et 42. Alph. 25. Judices deinde omnes tenentur intra decem dies a suscepto officio de antecessoris actis et gestis ex officio inquirere, Ord. cit. tit. 65. §. 39. cum seq. (Tit. V. §. XI.). Vid. Herald. de rer. judicat. auctorit. lib. I. cap. VII. et VIII. Thomas. *De judice male judicante.*

§. VIII.

*De aliis
quasi de-
liictis.*

Deinde ex quasi delicto tenentur dominus, vel inquilinus ob dejecta, vel effusa a suis clientibus, libertis, famulis apud eos habitantibus non in duplum, uti jure Romano, sed in simplum, et quanti interest, §. 1. Inst. De obligat. quae ex quasi delict. nasc.: ob suspensa, et posita supra eum locum, quo vulgo iter fit, si inde alicui nocitum, l. 5. §. 6. De his, qui effud. vel dejec. Medici tenentur ob imperitiam medendi, §. 7. Inst. De leg. Aquil. l. 6. §. 7. De offic. Praesid.: stabularii ob damnum in rebus viatorum a famulis tantum, quorum opera utuntur, non ab extra-neis datum; hoc enim casu non ex quasi delicto, sed ex quasi contractu obligantur, §. ult. Inst. De obligat. quae ex quasi delict. (Inst. de obligat. et act. Lib. IV. Tit. IV. §. IX.). De his delictis Patriae leges specialem titulum non habent; ea autem puniuntur et praestatione illius, quod interest, et mulcta quadam judicis arbitrio, quando aut legibus municipalibus, aut Politiae Magistratus decreto definita non est. Vide, sis, tamen Ord. lib. I. tit. 68. §. 31. et 40., et quae diximus Tit. VII. h. Lib.

Inter quasi delicta jure numeratur *miseritordia intempestiva*, cuius pulchrum exemplum nobis suppeditat Ulpianus in

in l. 7. ff. *Depositii*. Hujus autem delicti apud nos rei sunt, qui inquisitis custodiae ipsorum demandatis elabendi potestate faciunt, atque ita, quominus justa ab iis poena sumi possit, impediunt. Rhet. dissert. *De misericordia intempestiva*. *Conniventia*, qua quis patitur delictum fieri, quod et poterat, et debebat prohibere, si non verum, certe quasi delictum est, l. 45. Ad leg. Aquil. Quae autem incommoda in Rempublicam sequantur ex conniventia, et indulgentia Principis, Magistratus, mariti, matrisfamilias, et aliorum, qui subjectorum suorum delicta dissimulant, eisque noctem et tenebras objiciunt, multis rationibus, et exemplis ostendit Füttmannus speciali dissert. : *De crimen conniveniae*.

T I T U L U S XII.

De judiciis criminalibus.

§. I.

JUDICium criminale est, *legitima causae criminalis disceptatio*, et *deciso a judice competente facta* (Inst. de obligat. et act. Tit. VII. §. I.). Illius autem tractatio non male post delictorum varias divisiones subjicitur.

Distinguendum hic omnino judicium legitimum, publicum, criminale, a privato judicio, et *vindiæ*, qua maiores nostri tantopere delectabantur, quibus scilicet leges ipsæ jus puniendi, et suas, suorumque injurias propria auctoritate vindicandi concedere videbantur, Ord. Alph. lib. 3. tit. 53. Privata haec *vindiæ*, et puniendi jus, cuius etiam hodie apud nos exempla multa exstant, tamquam si familiare esset, et hereditarium, illis temporibus ad descendentes, et heredes una cum laesi bonis, et terra transibat. In medii aevi scripturis non nullis legimus: *Ad quemcumque hereditas terrae pervenerit, ad eundem vestis bellicæ, id est, lorica, et ultio proximi, et solatio leudis debet pertinere*. Vide Institutiones nostras Juris Publici Tit. II. §. XXIII. Not. et Tit. IV. h. Lib. §. XIII. In magno Toscanæ Ducatu jus puniendi privata delicta, veluti homicidium, et injuriam, singulis concessum erat civibus ad Leo-Tom. V. T. pol-

poldom usque, a quo demum revocatum art. 52. nov. Cod. Criminal. Florent. vulgar. 30. Novembr. 1786.

§. II.

*Et quid
eo conti-
neatur.* Naturam judicij criminalis, quemadmodum civilis, multa ingrediuntur, veluti *judex competens*, *ordo judiciorius legitimus*, *actor*, et *reus*, cet., Ord. lib. 3. tit. 20. et lib. 5. tit. 124. *Procuratores*, et *Defensores* ad substantiam judicij criminalis haud spectant; eidem tamen quibusdam in causulis possunt accedere.

§. III.

Judex,
et fo-
rum
compe-
tens.
Forum
maleficii
compe-
tentem
judicem
facit.

Judex competens is dicitur, qui in ea causa, et in eas personas, quae in judicio actoris, vel rei partes sustinent, jurisdictionem habet. *Forum competens*, quod illius imperio subest (Inst. de obligat. et act. Tit. VII. §. XXIII.).

§. IV.

Forum
maleficii
compe-
tentem
judicem
facit.

Et tale est forum *delicti*; adeoque *judex illicius loci*, ubi quis maleficium commisit, *competens* est, et in eum animadvertere potest, qui intra fines criminalis suae jurisdictionis deliquit, Ord. lib. 1. tit. 7. §. 1. 4. tit. 76. §. 1. lib. 3. tit. 6. in princip. et §. 4. et lib. 5. tit. 117. §. 9. Itaque ubi quis deliquit, quamvis allunde domicilium habeat, ibi puniri debet; faciliores enim ibidem habentur probationes, Ord. lib. 3. tit. 54. §. 13.

Quid vero si in alio loco delictum inhibatum sit, in alio perfectum, ac consummatum? Uterque *competens* *judex* est, salvo tamen *praeventio*nis jure, et *praerogativa*, lib. 1. Cod. Ubi de crim. ag. oport., ubi Perez. Idem di-

cen-

JURIS CRIMINALIS LUSITANI.

cendum de delicto in confinio jurisdictionis admisso, quando de certo loco non constat: quo casu illius coercitio ad judicem alterutrum, qui confines terminos habet, et alterius jurisdictionem praevenit, pertinere videtur, Phaeb. II. P. decis. 215. Mend. in Prax. II. P. lib. V. cap. III. n. 3.

§. V.

Domicilii autem judex querelam ab eo datam, qui suac jurisdictioni libest, recipere potest ob delictum extra illius fines commissum, Et for-
rum do-
micitii, per viam
Ord. lib. 5. tit. 117. §. 9. ibi: *E nenhum Jul-quereiae.*
gador receberá querela, salvo sendo o quereloso
morador na sua jurisdição, ou quando o crime
for cometido em sua jurisdição, posto que o quereloso não seja nella morador.

Accusationem tamen judex domicilii recipere non potest, nec de delicto ex officio inquirere; sed querelae tantum deferre ab eo, et contra eum datae, qui illius jurisdictioni subjectus est, quamvis in aliena deliquerit; et ita intelligenda Ordinatio citata. Paulo aliter Barbosa in l. Heres absens §. Perinde de judic. n. 41. Ratio differentiae petenda est ex diversa querelae, accusationis, et inquisitionis natura, quae ex dicendis constabit.

§. VI.

Excipiendum semper forum privilegiatum ratione cauffae, vel personae. Itaque crimen ecclesiasticum in foro ecclesiastico puniendum, Ord. lib. 2. tit. 20. Ecclesiastici in eodem foro ob crimina etiam civilia coercendi, Ord. eod. lib. tit. 1. §. ult. et lib. 5. tit. 88. §. 16. Privilegium deinde foro in criminalibus fruuntur milites, Diplom. 21. Octobr. 1763. §. 2. 3., 14. Febr. 1772. §. 2., 26. Febr. 1789.; itemque Militiarum Regni Equites, et Melitenses, Ord. lib. 2. tit. 12. §. 1. Extravag. 6. Decembr. 1612. §. 6., Forum
privile-
giatum.

cet., quorum meminimus Institutionib. De Jur. Personar. Tit. III. §. LIV., et De obligat. et act. Tit. III. §. XXXII.

§. VII.

Jurisdi-
cio cu-
mulati-
va.

Excipiuntur etiam crimina atrociora, quorum reos judices omnes in aliena jurisdictione inquirere, et capere possunt; omnibus enim jurisdictionis promiscua, seu *cumulativa*, ut loquuntur, concessa fuit Dipl. 14. Aug. 1751. 20. Octobr. 1763. §. 7. Judices criminales Olisiponenses inter se jurisdictione quoque *cumulativa* utuntur, Extravag. 25. Decembris 1608. §. 23.

§. VIII.

Judicia-
rius ordo
crimi-
nalis.

Ordo judiciarius legitimus, id est, processus in omni judicio tam civili, quam criminali omnino necessarius. (§. II.), est vel *ordinarius*, vel *summarius*, pro diversa criminis qualitate, et vel *juris naturalis*, vel *civilis*, *accusatorius*, vel *inquisitorius*. Huc ergo trahenda, quae de civilibus judiciis diximus Inst. De obligat. et act. Tit. VII. §. IV. cum seq.; nam omnia ferme criminalibus convenienter.

§. IX.

Processus
ordina-
rius.

Dicitur *processus ordinarius*, qui eo ordine digestus est, ac dispositus, quem praescribit Ordinatio lib. 5. tit. 124. Constat ex citatione, libello, exceptionibus, litis contestatione, replicacione, treplicatione, interrogationibus, dilationibus, probationibus, ceteris ex processu civili *ordinario* ad criminalem traductis, quae eadem Ordinatione dilucide explicantur. Locum regulariter habet in omni causa criminali.

Or.

Ordinem judiciorum in criminalibus aequo ac civilibus diversum pro temporum diversitate fuisse omnes facile vident. Initio brevis erat, et simplex, nullisque sollemnitibus circumscriptus praeter eas, quas jus naturale requirit. Alphonsus V. suo Codice lib. 5. tit. 4. ordinem processus naturalem, paucis quibusdam adjectis, probavit. Plura addidit Emmanuel Rex tit. 1. eod.; plura Joannes III. lege 5. Jul. 1526. et 14. Aug. 1529. apud Leon. 3. p. tit. 1. l. 7. et 11. ex quibus digestus fuit titulus 124. in Codice, quo utimur. Quae quidem omnia adinventa postea fuerunt, et deducta partim ex jure Canonico, et Civili, partim ex praejudicio, auctoritateque Glossatorum, et partim deum ex Patriis legibus, et moribus in criminali foro receptis.

§. X.

Processus *summarius*, qui hodie in capitalibus caussis servatur, nullas sollemnitates desiderat. Ea tamen omnia hic locum habere debent, quae necessaria sunt et ad delictum, et ad delinquentem demonstrandum, veluti *corpus delicti*, testimonia contra delinquentem, interrogations eidem a judice bona fide factae, et illius ad easdem responiones, cetera, quae jure naturali ad reorum defensionem requiruntur, nullatenus praetermittenda, Ord. lib. 1. tit. 1. §. 16. Decret. 4. Novembr. 1755. Novell. 25. Jun. 1760. §. 5. et 20., Dipl. 20. Octobr. 1763. §. 1.

Summarii processus mentio fit Ord. cit., et passim: qualis autem processus iste *summarius*, seu *verbalis*, ut vocant, sit, quae necessario contineat, quae ab eo abesse possint; et qua ratione, et modo instituendus, in jure nostro, quod optandum erat, definitum non est. In civatis Extravagantibus per processum *summarium*, *verbalem*, et *de plano*, ego intelligo processum juris naturalis. Et quamvis publice intersit, ut judicia criminalia praesertim capitalia brevi finem accipiant, et celeriter quantum fieri possit terminentur; hoc non ita accipendum est, quasi nimis festinanter, vel tumultuarie tractari possint, vel eorum quidquam licet minimum omitti, quae ad substantiam judicii pertinent, vel ad necessariam reorum defensionem. *Defensio-*

trative igitur, non *taxative*, ut loquuntur Scholastici, videtur intelligendae praefatae Novellae Constitutiones; adeoque eisdem non *substantialia* processus, sed *summarii* tantum sunt remissa. Haec cum ita sint, reo denegari non debent exceptiones, quae ad judicem *suspiciendum* removendum spectant, vel ad testium reprobationes, cet., quae naturalis processus essentiam ingrediuntur, ut ut eorum in citatis Novellis expressa mentio non fiat (Inst. De obligat. et act. Tit. VII. §. V. XIII. XIV.).

§. XI.

Et levioribus.

Non numquam in levioribus delictis, quae officio judicis prosequuntur, veluti furti *simplicis*, armorum interdictionis, concubinatus, et similiū, processus summarius admittitur; quod fit, cum a Supplicationis Domus Rectore carceres singulis mensibus invisiuntur; quippe quia, eo praefente, similia delicta, habita prius criminalium judicum informatione, coerceri, et ad legum praescriptum, sola facti veritate inspecta, a Praetoribus Curiae criminalibus judicari jubentur, Ord. lib. I. tit. I. §. 30. Diplom. 31. Mart. 1742. §. 7., 15. Januar. 1780. 5. Mart. 1790. §. 6. 8. 9.

§. XII.

Jurisdictio criminalis quid, quibus competit, et quae illius natura.

Competit jurisdictio criminalis, hoc est, potestas in facinorosos animadvertisendi, iis tantum, quibus lege publica fuit concessa. In Monarchia Regis arbitrio et voluntate pendet illius *qualitas*, *extensio*, et *intentio*; quippe quia ad eum dumtaxat pertinet judicium de imputatione actionum, et jus poenas infligendi. Quocumque autem modo, et quibuscumque personis jurisdictio haec criminalis a Rege data sit, Regis nomine exercetur. Itaque Regia semper inter nos dicenda est, non *patrimonialis*, nec vere *feudalis*.

Initio judices criminales a civilibus haud distinguebantur: nam judicibus loci ordinariis omnis jurisdictio competit. Eodem tempore Praetores magis imperium, et correctionem, quam propriam jurisdictionem habere videbantur. Creati postea fuerunt speciales Magistratus criminales, qui vel singuli, vel cum collegis suis in criminibus animadverterent (Inst. Jur. Publ. Tit. II. §. XIII. Not.). Donatarii jurisdictionem propriam nullam habebant, superiorem, vel inferiorem, altam, bassamve, ut vocant, sed eam tantum, quae Donationis litteris expresse continebatur: quam Reges, prout e Republica erat, poterant limitare, vel in totum abrogare: itaque nec vere *feudalis*, nec *patrimonialis* erat, cum eamdem non proprio, sed Regis nomine exercent. Neque praeterea criminalis jurisdictione eidem concessa graviora crimina umquam comprehendit, sed leviora tantum, et oeconomica praesertim, quae vel agrorum culturae, vel municipii speciali oeconomiae a Senatu decretae impedimento essent. Omnia autem Rex suo arbitrio moderabatur, vel per *Missos Regios* (Lusitane *alçadas*), qui, Dominorum oppida percurrentes, illorum fraudes judiciales, et sinistram justitiae administrationem corrigeabant, (Init. De Jur. Personar. Tit. III. §. XXXVIII. XXXIX.).

§. XIII.

Sine actore, et reo judicium nullum redditur (§. II.). Quum vero actor is dicatur, qui in iudicio ab aliquo quidvis dari, fieri, vel peti contendit, et reus is, quocum agitur, et unde petitur: facile patet accusationem rei, illius defensionem, et sententiam potiores judicii criminalis partes esse, quibus plura specialia capita comprehendendi solent, quae singula suo ordine summatim a nobis tractanda sunt.

TITULUS XIII.

De accusationibus, querelis, inquisitionibus, et denuntiationibus.

§. I.

Accusa-
tio quid.

*A*ccusatio generatim dicitur, legitima publici; privative criminis a publica, privatave persona ad judicem competentem facta delatio. Itaque accusatio ambitu suo comprehendit querelam, inquisitionem, denuntiationem, et actionem quamcumque criminalem. Atque hi hodie sunt crimina inquirendi, et persequendi modi.

§. II.

Et quo-
tuplex.

Dividitur in *publicam*, et *privatam*, quantum publica, privataque crimina persequitur. Quae in judicio persequuntur vel per specialem actionem, quam nos *querelam* dicimus, vel per *generalem*, *specialeme inquisitionem*, vel per *simplicem actionem criminalem* ad damni reparationem, et poenam. *Denuntiatio* vera accusatio non est, sed viam ad accusationem, et inquisitionem sternit.

§. III.

Accu-
fandi li-
centia.

Accusandi licentia, cum utilis aequa ac periculosa Reipublicae esse possit, caute suscipienda, nec promiscue omnibus concedenda est, prout eleganter docet Cicero pro Sexto Roscio §. XX.

4. T.



§. IV.

§. IV.

Accusatio publica non nisi in publicis criminibus, quae quivis e populo accusare potest, admittitur. Qualia autem haec sint, constat ex Ord. lib. 5. tit. 117. in princ. Non admittitur sine fiduciis idoneo de expensis, et damno dato, et jurejurando de accusatione bona fide, et publicae tantum vindictae causa instituenda, et prosequenda, ead. Ord. §. 6. Debet etiam accusationem praecedere *querela* de crimine apud competentem judicem facta, Ord. cit. §. ult., quae, quamvis de homicidio speciatim loquatur, de omnibus publicis delictis intelligenda est. Inscriptio in crimen, qua, non probata accusatione, ad simile supplicium, quod reo subeundum erat, accusator se obstringit, in usu non est. Cautionem quoque permanendi in judicio usque ad sententiam, quam jus Romanum requirit lege 3. Cod. De his, qui accus. non poss., hodie accusator non praefstat.

Criminum publicorum per privatos accusatio; vel quia multa secum trahit incommoda, vel quia vulgo creditur officio boni viti patrum convenire, hodie fere in foro ignoratur. Subrogatae illius loco fuerunt *inquisitiones generales*, et *speciales*, *querelae*, et accusations per Procuratores fiscales. Accusationis tamen usus prohibitus non est, quinimum expresse permisus Ord. lib. 5. tit. 117. §. 16. cum seq., modo *querela* apud judicem competentem prius instituatur, de eademque sententia pronuntietur, Ord. cit. §. ult.; publice enim interest, ut de crimen publico, judice inscio, accusatio non admittatur. Quod vero criminis publica e populo quivis accusare possit, a jure Romano deductum est, et vix hodie obtinet posteaquam officio judicis, et ad *justitiae Promotoris* instantiam similia criminis in foro vindicari coeperunt.

§. V.

De his,
qui accu-
fare non
possunt.

Accusare possunt quicumque speciatim non inveniuntur prohibiti. Hoc autem officium cum Republicae periculofumi esse possit (§. III.), ab eo arcentur, qui rem vel non satis intelligunt, veluti impuberes, et minores, vel qui reo terrori esse possunt, veluti Magistratus, eorumque Officiales, ceterique potentiores; vel qui sexus verecundiam, pietatemve accusando laedunt, veluti liberi, et liberti patrem, matremve, aut patronum, vel feminae alios accusantes, vel denique reo quoquomodo suspecti, quales sunt inimici, Ord. lib. 5. tit. 117. §. 2. et 4.; infames, et falsi testimonii convicti, accusationesve pro quaestu habentes §. 4.; carceribus publicis detenti, et perpetuo exilio damnati §. 14.; judicio criminali, vel civili condemnatus, qui alios certe accusare potest, siu m tamen adversarium etiam post finitam sententiae executionem de crimine publico accusare prohibetur, §. 13. Crimina *privilegiata* divinae, vel humanae majestatis, adulterinae monetae, falsi, cet. omnes deferre possunt, §. 2. Omnibus similiter permissum est privata delicta, quae accusatoris personam respiciunt, et vel ad illius, vel ad suorum injuriam vindicandam tendunt, accusare; adeoque minoribus, feminis, potentioribus, infamiae notatis, et ipsis etiam inimicis, Ord. cit. §. 2. 3. 13. et tit. 124. §. 9.

Quod jus nostrum de his statuit, qui accusare possunt, vel non, e Romanis legibus in tit. ff. et Cod. De accusat. et inscript. depromptum est, et bona utique ratione ntitur. Eadem juri debetur differentia inter *publici*. et *privati* *criminis* accusationem, et inter *crimina privilegiata*, quae omnes, et *communia*, quae ii tantum accusare possunt, qui nulla suspicione laborant. Romani juris, et Patrii regulae, qua privatam injuriam ulciscendi facultas in-

discriminatum omnibus conceditur, et quam jus nostrum in ipsis quoque iuimicis probat, atque confirmat, exceptio una apponitur Ordinatione cit. tit. 117. §. 14., in iis videlicet, qui carcere publico inclusi, et perpetuo exilio. condemnati propriam injuriam vindicare intendunt, quod eisdem praefata Ordinatione denegatur. Hujus autem exceptionis rationem me plane ignorare fateor.

§. VI.

In causis criminalibus, nisi levioris momenti sint, nec accusatori, nec reo *Procuratores* admittuntur, Ord. lib. 5. tit. 117. §. 21. 22. et tit. 124. §. 14. 15., nec *Defensores*, Ord. lib. 3. tit. 7. §. 2. 3., quod juri Romano in l. 13. §. 1. De publ. judic. conforme est. Hodie tamen, cessante inscriptione in crimen, et dominio litis, cessare videtur prohibitio Procuratores constituendi in criminalibus (Inst. De obligat. et act. Tit. III. §. XI.).

Quando
in crimi-
nalibus
Procura-
tores, et
Defenso-
res ad-
mitten-
di.

Per Procuratorem accusatio de licentia Regis admittitur in Palatii Curia expedita §. 77. ejusdem Regim. Hanc autem licentiam dare prohibuit Extravag. 6. Decembr. 1612. §. 21., nec ea hodie restituta appetat in novo ejusdem Curiae, seu potius omnium Tribunalium Regimine 24. Jul. 1713. Bene autem reus potest constituere Procuratorem, qui eum non a crimine defendat, sed ab onere in judicio comparendi ex justa, et necessaria absentiae causa, qui speciatim *Excusator* dicitur Ord. lib. 3. tit. 20. §. 3.; quinimmo feminae, minores, servi, et quivis e populo hanc excusationem in criminalibus sine mandato procuratorio allegare possunt, Ord. cit. tit. 7. §. 3. In capitalibus tam Procuratores, quam Defensores admittendi videntur; hoc enim humanitatis officium, maxime cum de servando cive agitur, nemini denegari debet, reo etiam invito, cum non audiatur perire volens, l. 6. De appellat. (Tit. XXII. §. IV. Not. h. Lib.).

§. VII.

*In deli- Crimina privata, quae propriam injuriam
ctis pri- continent, et damnum, quamvis ejus generis sint,
vatis ac- accusator ut querelam admittant, sine querela quis accu-
cusator simplex sare potest, eaque in judicio per actionem cri-
finita que minalem prosequi, nulla cautione, satisfactione-
rela ad- que data, vel jurejurando praestito, Ord. lib. 5.
mittitur. tit. 117. §. 21. et §. 5. et 6.*

*Inquisitiones, et querelae, cum adversarii citationem
haud requirant, adeoque exorbitantes sint, et periculosae,
non nisi cum juramento, et cautione de damno et expen-
sis solvendis admittuntur; quibus praestitis, veluti purifi-
cari, et legitimari videntur: contra vero simplex accusa-
tio criminalis, qua de damno, et legitima poena, servato
juris ordine, hoc est, reo prius citato, agitur, recta via,
et ad legum praescriptum instituitur: itaque sollemnitates
cautionis, et jurisjurandi jure meritoque in illius editione
omittuntur.*

§. VIII.

*Accusa- Quamvis hodie inscriptio in crimen locum
toris non habeat (§. III.) ; tamen in omni accusationis
poena, reo absolu- genere, five publicae, five privatae, reo absolu-
to, accusator in expensis litis, et danni dati resti-
tutione eadem sententia condemnatur; graviorib-
us utique poenis arbitrio judicis afficiendus, si
in dolo versatus sit, Ord. lib. 5. tit. 118. Emm.
43. Alph. 29. 30. (Tit. XX. §. VIII. cum seq.
h. Lib.).*

§. IX.

*De pro- Accusatio legitima (§. I.) processum ordi-
cessu ac- narium requirit; adeoque citationem, libellum,
cusatorio contestationem, cetera, quae Ordinatione lib. 5.
ordinario. tit. 124. habentur. Accusatus omnino citandus est,
qui,*

qui, si se defendere velit, accusatorem citare debet, ab eoque libellus accusatorius offerendus. In homicidio citanda occisi uxor, filii, et consanguinei intra quartum gradum, Ord. lib. 5. tit. 124. §. 9. et tit. 130. §. 1. Libellus rite formatus continere debet acculcoris, accusati, et judicis ipsius nomen, crimen ipsum cum indicis *articulatum* propositis, locum, et tempus, Ord. cit. in princ. et §. 1., Mend. in Prax. lib. V. cap. I. §. IV. Litis contestatio in genere suo comprehendit exceptiones tam *dilatorias*, quam *peremptorias*, quae rei defensionem quoquo modo continent. Illarum numero sunt *judicis incompetentis*, *suspecti*, *praeventionis*, *accusatoris inhabilis*, *libelli inepti*, *cautionis nondum praestitae*. Harum quaecumque accusationi finem imponunt, et litem perimunt. Responso accusationi praestita contestationem facit *negativam*, vel *affirmativam* cum excusatione, *generalem*, vel *specialem*; quocumque autem modo concipiatur, contraria esse debet articulato libello, Ord. tit. 124. §. 2. *Replications*, *trePLICATIONES*, *dilationes probatoriae*, *probationes judiciales*, *reprobationes*, et *interrogationes* tam ex officio, quam ad adversarii petitio-
nem facienda; et, ut verbo dicam, omnes fere peten-
tidi, et probandi modi, qui in civili judicio ob-
tinent, in criminali ordinario locum habent, Ord.
cit. tit. 124. in princ. et §. 1. 2. 4. 5. 24. et
passim.

Ordinarius hic processus in privatis délictis servandus; cum quis propriam injuriam persequitur, et in publicis quoque, cum privatus illorum sollempnis accusator est, quod raro fit. Idem servandus, cum *Justitia* accusatoris vicem sustinet, et ex officio in criminofos inquirit, eosque accusat. Excipiuntur crimina privilegiata, quorum processus summarius est (Tit. XII. §. X.). Ad reorum defensionem quod attinet, praeter ea, quae suis locis adnotabimus, haec interim tenenda: et 1), quod in caussis gravioribus
reus.

reus possit etiam post apertas et publicatas attestations caussas delicti excusantes allegare, Ord. tit. 124. §. 8. : 2) et judex testes tam pro actore, quam pro reo in quacumque judicij parte ex officio inquirere; secus ad petitionem adversarii, nisi caussa ejus conditionis, et in eo statu sit, ut testium novum examen, vel novos recipiendos testes exposcat, tit. 124. §. 7., Phaeb. I. P. Arest. 136.: 3) quod plures ejusdem delicti socii eodem processu, et apud eundem judicem competentem in prima *instantia* sint liberandi, tit. 124. §. 11. et lib. 1. tit. 79. §. 31., Cabed. II. P. post Aresta: 4) quod reo dentur interrogaciones, et responsiones initio litis a judice factae, priusquam eamdem contestetur, si eas petat, et ad suam defensionem necessarias esse affirmet, Phaeb. I. P. Arest. 137.: 5) quod, actione criminali *civiliter* intentata, *criminalis*, ea pendente, locum non habeat, idem Arest. 154. et 169. Et haec in transcurso veluti adnotare fatis sit (Tit. XIX. §. 1.). Libelli accusatorii, litis contestationis, replicationis, et trePLICATIONIS formulas in foro usitatas exhibent Mend. I. P. lib. V. cap. I., Camin. de libell., ejusque reformator *Cofsa* Annot. 96. et 97.

§. X.

Querela
quid.

Accusationi proxime accedit *querela*, altera crima inquirendi, et persequendi modus (§. I.). Per querelam intelligitur legitima criminis publici, vel privati, quod ad deferentem pertineat, ad judicem competentem facta delatio.

Querela species quaedam accusationis est: ea quippe data, de delicto, et delinquente inquitur, isque criminaliter in judicio accusatur. Ab ea tamen potissimum differt; quod testes in querela dati sine citatione rei inquirantur; qua per eosdem probata, ipse a judice pronuntiatur, et in carcерem conjicitur: quae aliter se habent in accusatione sine querela; haec enim a rei in judicium vocatione incipit.

§. XI.

§. XI.

Crimina publica, quae querelam admittunt, Quibus
 Ordinatione lib. 5. tit. 117. in princ. Emm. 42.
 referuntur. Et talia sunt apostasia, blasphemia,
 perduellio, magia, homicidium, rapina, furtum
 alicujus momenti, falsum testimonium, nummus
 adulterinus, lenocinium, incestus, polygamia si-
 multanea, concubitus cum infidi, vel cum fa-
 mula illius, quocum quis vivit, concubinatus in-
 cestuosus, vel sacrilegus, vis publica in Magistra-
 tus, ejusque Officiales in iis, quae ad officium
 suum spectant, vel in privatos ab hominum mul-
 titudine, et in turba commissa, effractio carceris,
 carcer privatus, cet., quorum meminit citata Or-
 dinatio. Qua in re haec summa regula est: *Omnia
 crimina, quae flagellationis, vel exsili*t* temporali
 poena ple*c*tuntur, querelam recipiunt.* Quere-
 la extra casus speciatim lege comprehensos re-
 cepta nullius momenti est, Phaeb. P. I. Decis.
 69. n. 1.

§. XII.

Privata delicta non omnia querelam reci- Et priva-
 piunt; sed tria haec tantum. Recipitur ergo que- tis.
 rela de adulterio, de arboribus frugiferis caesis,
 Cabed. I. P. Decis. 126., et pro vulneribus san-
 guinolentis, vel contusionibus, de quibus constar-
 re debet vel per ocularem inspectionem, vel per
 instrumentum a Tabellione judicis auctoritate con-
 fectum, Ord. lib. 5. tit. 117. §. 1. Privata alia
 delicta, veluti injuria, damnumve datum, via or-
 dinaria per simplicem accusationem persequuntur,
 ead. Ord. §. 5.

§. XIII.

§. XIII.

Quo tempore proponenda. *Querela perfecta* intra annum a die commissi delicti proponenda est, et testes a querelante nominati intra viginti dies ab illius receptione producendi, Ord. lib. 5. tit. 117. §. 1. et §. 18. et tit. 2. §. 4. eod. lib. Anno enim praeterlapsa, renuntiatio quaedam tacita a lege inducitur, et locus fit *justitiae accusationi*; quam tamen querelans, si velit, juvare potest: itaque non jam admittendus tamquam verus accusator, sed tamquam merus et simplex *justitiae adjutor*, Ord. cit. tit. 117. §. 19. in fin. ibi: *Porém se quizerem ajudar a Justica, pode-lo-haõ fazer.*

Saepè in jure nostro mentio fit *querelae perfectae*, veluti Ord. lib. 5. tit. 2. §. 4. et tit. 117. §. 12.: et inde consequitur dari etiam *querelam imperfectam*: alterutra autem qualis sit, eodem jure expressum non est. Ego *perfectae* nomine intelligo sollemnem, et legitimam, de qua Ord. lib. 5. tit. 117. speciatim agitur, quae quidem eo modo in judicio tractanda, qui ibidem definitur: *imperfectae* autem simplicem accusationem, seu querimoniam, hoc est, actionem criminalem, qua reus via ordinaria, id est, per citationem, libellum, contestationem, cet. in judicio accusatur. Itaque *querela perfecta* intra annum a commissio delicto interponenda; cum enim sit specialis agendi modus extraordinarius, et periculosus, quippe quia in reum non citatum, nec auditum proponitur, illius interponenda tempus coangustari debet, non amplificari. Idem de vera, et propria accusatione dicendum, cum apud nos non nisi querela data admittatur, Ord. cit. tit. 117. §. ult. Simplex autem accusatio sine querela, id est, mera persecutio criminalis, qua *injuriae*, et *damni reparatio*, et poena legalis petitur, cum modo ordinario in judiciis usitato tractetur, perpetua est, et vicennio durat, Ord. cit. §. 1. vers. *E passado o anno*, et lib. 4. tit. 79. et lib. 1. tit. 83. §. 23. in fin. l. 22. Cod. Ad leg. Cornel. de falsi l. 1. l. 3. De requir. absent. l. 13. De divers. et tempor. praescript. (Inst. De Jur. Rer. Tit. IV. §. XIV. et Tit. XXIII. §. II. h. Lib. 2). Querelam *desertam*, vel intra annum ab illius receptione non praesentatam, judex

ex

ex officio prosequitur iis in casibus, in quibus *iustitiae locus* est, Ord. tit. 117. §. 19. Quales autem hi sint, declarat Ordinatio eod. lib. tit. 122. Emm. 42. Alph. 58. Querelam deserentis haec poena est, 1) quod ad eam repetendam, et prosequendam non admittatur tamquam verus accusator: 2) quod accusatio a *iustitia suscepta expensis* querelantis fiat: 3) quod in carcere is detrudatur, si bona, unde *expensas* solvat, non habet, nec fidejussionem de eisdem solvendis, nisi probet desertioni caussam dedisse non malitiam, sed paupertatem: 4) quod, reo sententia judicis condemnato, nulla ei applicanda sit poena, nec ulla danda pro damno accepto satisfactio, Ord. cit. tit. 117. §. 19.

§. XIV.

In actione querelae speciale est, 1) ut querelans juret se non calumniandi animo, sed iusta de caussa, et virtutis amore de crimine conqueri: 2) ut testes dati proprio nomine, cognomine, officio, et habitatione designentur: 3) ut non alios quam a querelante nominatos judex inquirat: 4) ut querelae instrumentum conficiatur a judice, et querelante subscriptum: 5) ut fidejusso idoneus ab eo detur de damno, et litis expensis solvendis, Ord. lib. 5. tit. 117. §. 6.

Instrumentum
querelae
quae de-
beat con-
tinere,

Jusjurandum numquam remittitur: pertinet enim ad caussam publicam: fidejusso autem in querela privata remittitur. Eam tamen praestare debent Officiales *iustitiae*, Clerici, Religiosi, Militiarum Equites, utut injuriam suam, et interesse in judicio prosecuantur, et potentiores tandem omnes, cum non facile possint de sumptibus, et damno conveniri, Ord. cit. tit. 117. §. 6. 7. 8. et lib. 3. tit. 92. (Inst. Jur. Publ. Tit. V. §. XXXVII.). Simplex accusatio criminalis sine ulla fidejussione, et jurejurando recte instituitur, neque accusator illud praestare cogitur, nisi ab adversario expresse petatur: et eo omisso non viatatur accusatio (§. VII. et Inst. De obligat. et act. Tit. XIX. §. VIII.). Quae aliter se habent in querela perfecta.

§. XV.

Inquisitio, (*Lusitane devassa*) alter in critio quid, mina, et criminofos inquirendi modus (§. I.), et quo- fit a judice ex officio, in quo a querela, et sim- tuplex. pli accusatione differt: eaque vel *generalis* est, cum de delictis, et delinquentibus generatim inqui- ritur; vel *specialis*, quae in determinatum deli- ctum, et personam dirigitur, Coccej. Disp. XXIV. *De eo, quod justum est circa inquisitionem.*

Inquisitiones *devassas* nos dicimus, vel quia publicae sunt, et omnibus patent, unde verbum *devasso*, *devassar*, vel quia sine partis citatione sunt. Dicuntur *inquisitiones ge- nerales*, non solum quae de delictis generaliter, et delin- quentibus instituuntur: verum etiam, quae in certas per- sonas, veluti *Officiales* justitiae sine ulla criminis suspicio- ne statis definitisque temporibus diriguntur: *speciales*, quae delictum certum, veluti homicidium, vulnus no- de inflictum, quod ad judicis notitiam pervenit, perse- quuntur, Leit. de jur. Lusit. tract. *De inquisitionibus* Quaest. I.

§. XVI.

Eius ori- Processus *inquisitorius* originem suam debet go. juri Canonico, id est, Innocentio III. in cap. 14. 16. 17. 24. De accusat. cap. 31. De simon.: accusatorius juri Romano, quo jure nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest, Cic. pro Sext. Rosc. Amer. §. XX., l. 6. De mu- nerib. et honorib. l. 38. §. 7. Ad leg. Jul. de adult.: *accusatio per viam querelae Patriis legi- bus*, et moribus.

Inquisitionem criminalem sine accusatore, et officio ju- dicis suscepit Romani ignorabant, et cum eis maiores nostri; posteavero quam Decretales in foro magnam auto- titatem habere coeperunt, nihil magis quam inquisitiones has leges nostrae probarunt. Negari tamen non potest, quod

quod a Regni initio Reges ipsi per se, vel per *Missos Regios*, homicidas, latrones famulos, viarumque gradiatores conquirerent; ast inde non sequitur, ut, iis comprehensis, locus non fuerit accusationi. Aliud est enim criminosos conquirere, et comprehendere, quo munere apud Romanos fungebantur Irenarchae, Nuntiatores, Curiosi, et Stationarii, qui quos conquisiverant accusare tenebantur: aliud in delinquentes generatim, vel speciatim, nemine deferente, inquirere non jam de criminibus manifestis, et notoriis, vel in judicio confessis, sed de occultis, de quibus vix suspecti erant. Apud nos Magistratus majores, veluti *Corregedores*, *Meirinhos*, *Adelentados*, *S. bre-Juives*, criminosos comprehendebant: eorum namque praecipuum munus erat in id operam dare, ut provincia a latronibus, hostibus, et maleficiis hominibus purgaretur: quem in finem tribunalia ambulatoria dicta *alçadas de justiça* extra ordinem non semel constituta fuisse scimus (*Inst. De obligat.* et *act. Tit. XXIII. §. IX.*). Qui omnes cum ci-vium querelas audire, et testes ab eisdem productos de gravioribus criminibus interrogare consueverint: inde *querelae specialis* actionis nomen venit: et inde fortasse inquisitionum, id est, *devassos*, quas initio ab eisdem judicibus proprio formatas ingenio, ipsi postea legumlatores ad Canonici juris scita non modo approbarunt, verum etiam longe lateque, ut fieri solet, produxerunt.

§. XVII.

Inquisitioni generali hodie locus est, quamvis nullus publicus clamor, praesumptio, vel infamia de crimine detur; in certum enim, et determinatum delictum non dirigitur. Quapropter ejusmodi inquisitio, cum extraordinaria sit, exorbitans, suspecta, et nimis periculosa, de criminibus tantum gravioribus, et in jure nominati expressis admittenda est, *Ord. lib. 1. tit. 65. §. 68.* Jubentur praeterea judices *ordinarii* contra antecessorem, et illius *Officiales* intra decem dies ab officio suscepito inquisitionem generalem insti-tuere, et intra triginta terminare, *ead. Ord. §. 39.* Testes autem nec magis, vel minus quam triginta debent inquirere, *Ord. cit. §. 39.*, *Phaeb.*

I. P. Arest. 106., fide dignos, et omni exceptione maiores §. 62., idem II. P. Arest. 116. Pertinent hujusmodi inquisitiones ad officium judicis ordinarii, vel *foranei*, et praesertim ad Provinciae Praetorem, Ord. lib. I. tit. 58. §. 31.

Quamvis Innocentius III. inquisitiones generales non aliter admittere videatur, quam *super illis*, de quibus clares aliqui praeceperunt, cap. 21. 24. De accusat.; tamen hodie per viam inquisitionis proceditur, omni infamacione, et clamore cessante, Cabed. I. P. Decil. 78. Quae vero inde timenda Religioni, Reipublicae, et civibus summe exitialia facile unusquisque intelligit, et Regia ipsa Ordinatio agnoscit lib. I. tit. 65. §. 31. his verbis: *Por se evitarem os inconvenientes, que contra o serviço de Deos, e noſſo ſe seguiriaõ de fe tirarem devassas geraes, mandamos a todas as Juſtiças que as não tirem. Vide, ſis, Boehmer. Jur. Eccleſ. Protel. ad tit. De accusat. §. LXXXI. Thomas. De origine proceſſus inquifitorii.*

§. XVIII.

Speciales.

Tolerabiliores sunt *inquisitiones speciales*; delictum quippe certum, et determinatum supponunt, et persequuntur. Instituendae intra octo dies a delicto commisso, et intra triginta finiendae, Ord. lib. I. tit. 65. §. 31. Testes numero triginta etiam hic requiruntur, nisi inquisitiones ad partium petitionem factas excipiamus, in quibus octo tantum desiderantur, Ord. dict. §. 31. et 32. Et instituendae similiter de casibus dumtaxat in jure expressis, quemadmodum generales, cum extraordinariae quoque sint, et a juris ratione exorbitantes. Quales autem ii sint, declarat Ordinatio citata, cui subjungendae Extravagantes apud Ord. lib. I. tit. 58. §. 31. Coll. I. Num. VIII. IX. XIII., et tit. 65. §. 31. Num. III. Novell. 24. Octobr. 1764. §. 5., cert., quas vel solum referre longum esset. Vide, ſis, Leit. De jur. Lusit. in tract. *De inquisitionibus* Quaest. III.

Spes.

Specialis deinde inquisitio vel *simplex* est, vel *qualificata*, seu sollemnis. Illa nec rei citationem requirit, nec praecise infamiam de delicto; nihil enim aliud est, quam *simplex informatio*, seu *devassa*. *Qualificata*, id est, sollemnis, est ipsa accusatio *justitiae officio* suscepta, quam *judex contra reum* jam de crimine dissamatum, et *suscipitum*, et non *convictum*, eo auditio et citato, publicae vindictae *caussa* prosequitur, Leit. cit. Quaest. IX.

§. XIX.

Processum inquisitorium nullum reddunt se-
quentes exceptiones, quandocumque etiam post Excep-
tentiam opposendae, 1) quando ex eo non tiones
constat de corpore delicti, Dipl. 4. Septembr.
1765. §. 2. : 2) quando de delicto constat; contra-
circumstantiae tamen, quae delictum augent, genera-
nuunt, vel excusant, non declarantur, §. 3. ejus-
dem Diplom. : 3) quando sine ulla denuntiatione, spe-
praesumptione, et indicis processus ordinale
tus fuit; quod de *speciali* tantum *inquisitione* in-
telligentum; nam *generalis* hodie nullam infa-
miam requirit, Cabed. I. P. Decis. 78. : 4) quan-
do locus delicti, caussa, et tempus expressum non
fuit, Ord. lib. 5. tit. 124. in princ. et §. 1. : 5)
inquisitione instituta de eo crimine, de quo iam
reus judicis sententia fuerat absolutus, Ord. lib.
5. tit. 130. : 6) crimen abolido, vel *praescripto*,
Ord. lib. 1. tit. 83. §. 23. in fin. : 7) inquisitione
intra triginta dies non finita, vel in qua
numerus testium a lege *praescriptus* non habetur,
vel de iis criminibus habita, de quibus ex offi-
cio inquire non potest, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 31.
39. 69. : 8) testibus ab aliis, quam a proprio ju-
dice examinatis, Ord. cit. §. 33. et tit. 7. §.
25. in fin. eod. : 9) vel a judge non compe-
tente, Ord. lib. 3. tit. 75., inimico, vel jure
suspecto, Ord. lib. 3. tit. 62. §. 2., vel a Tabellio-
ne.

ne, ead. Ord.; vel denique si testes producti fide digni non sint, Ord. lib. I. tit. 65. §. 61. ibi: *Perguntando pessoas de boa fama, e de que se presuma, que dirão verdade, e que sabem parte das tais cousas*, Mend. in Prax. lib. V. cap. III. in I. et II. P.

Judices competentes eos nos hic dicimus, quibus publica, privatave lege facultas de criminibus generatim, vel privatum inquirendi concessa fuit: quales in primis habantur Judices criminales, et provinciatum Praetores, quibus competit jure magistratus. Quidam tamen judices sunt, qui eadem singulari jure utuntur in iis, quae ad officium suum, et speciale munus spectant, veluti Judex Indiae, et Minae, Ord. lib. I. tit. 51. in princ. et §. 4., Auditor Olisiponensis Portorii, tit. 52. §. 11., Judex fisci §. 36. illius Regim., Curiae Negotiatoriae Conservator, Dipl. 30. Maii 1759. Visitationes Episcoporum huc non pertinent, et ex sanctiore alio jure descendunt; non enim haberi debent tamquam verae, et propriae inquisitiones in sensu juris civilis; quod si habeantur, visitatoribus non nisi legis specialis beneficio competere possunt. Equitum Judex, vel quia jurisdictione ecclesiastica utitur, vel quia saecularis de criminibus ex officio inquirendi expresse eidem data non sit, non potest de ipso forum Equitum delictis inquisitionem ullam generalem, specialeme instituire. Hi tamen a judicibus aliis quovis modo rei pronuntianti, vel comprehensi ad eundem una cum actis sunt remittendi; ipseque novum processum criminale ordinare debet, cum institutus apud judicem a quo nullus sit ex notorio jurisdictionis defectu, Ord. lib. 2. tit. 12. §. 1., Phaeb. II. P. Arest. 164. et 166. Leit. tract. De inquisit. Quaest. IV. n. 21.

§. XX.

Quae necessario continet inquisitio generalis, et de corpore delicti. Ad inquisitionis substantiam tria haec potissimum capita pertinere arbitramur: I.^{um} an delictum sit commissum? II.^{um} a quo: III.^{um} sub quibus circumstantiis. Primum igitur de veritate criminis judici constare debet; adeoque ante omnia investigandum, an delictum existat; quae investigatio cor-

corpus delicti appellatur, et totius inquisitorii processus fundamentum est, Ord. lib. 3. tit. 62. §. 1. Novella dicta da Reformaçā da Justiça §. 4., l. 1. §. 24. De SCto Silaniano, Boehmer. Jur. Eccles. Protest. lib. V. tit. I. De accusat. §. XC., ubi rem hanc notabili exemplo confirmat.

§. XXI.

In delictis *facti permanentis*, quae post se ^{Quando} vestigium relinquunt, corpus delicti fit per ocularem inspectionem, Medicis, et Chirurgis arcessitatis. In homicidio itaque cadaver, et vulnera per peritos inspicienda; armorum, cicatricum, et ^{forman-} ^{dum in-} ^{delictis} ^{facti per-} ^{manentis,} ^{vel trans-} ^{cuntis.} neficii qualitas examinanda. In furto ablatarum rerum qualitas, valor, et designatio investiganda, et an oftia sint fracta, schalaeve admotae. In *facti transeuntis* delictis corpus formatur ex conjecturis, quae ad ocularem inspectionem proprius accedant, et ex testium summario examine, qui de patrato delicto deponant. Ea igitur omnia, quae maleficium, et illius qualitatem, et circumstantias demonstrare possunt, a judice indaganda sunt, priusquam ad specialem inquisitionem deveniat, de quibus instrumentum a Tabellione conficiendum, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 38., et lib. 5. tit. 117. §. 1., Boehmer. cit. Heinecc. Elem. Jur. Germ. lib. III. cap. IX. §. CCCXLVIII. (Tit. VIII. §. XII.) *ut leit. de Inquisit. quod. gen. b.*

§. XXII.

Posteaquam per inquisitionem generalem de ^{Auctor} ^{delicti} delicto satis constitit, de illius generaliter aucto- ^{constat} re, et circumstantiis inquirendum (§. XX.). Au- ^{ex con-} ^{jecturis,} ^{vel ex} ^{testium} ^{deposi-} ^{tione.} tor quis sit vel ex conjecturis, vel ex testium jurata depositione constat. Circumstantiae num- quam

quam omittendae; eis enim natura delictorum
quam maxime alteratur.

§. XXIII.

Quae coniecturae ad speciem inquisitionem requirantur. Per conjecturas argumenta illa intelligimus, quae quamvis delictum, et delinquentem non probent, fidem tamen aliquam de eo commisso, et illius auctore faciunt. Haec autem vel *remota* sunt, vel *proxima*, *communia* omnibus delictis, vel singularis *propria*, de quibus suo loco. Hic tantum tenendum, sine conjecturis, seu indiciis *proximis*, et *propriis* delicti (quae autem haec sint arbitrio judicis necessario relinquendum) nec capturae reorum, nec *inquisitioni speciali* locum esse.

§. XXIV.

Quando a judice facienda. Ad inquisitionem specialem tandem deveniendum, quoties per generalem de corpore delicti constat, et indicia resultant, quae personam certam de crimen suspectam reddant. Hanc inquisitionem solus judex dirigit, qui in loco judicii, vel propria domo reum solutum, vel captum, adeoque ante, vel post inquisitionis generalis pronuntiationem, praesente Tabellione, de patrato delicto inquirere potest.

Inquisitiones generales. Leitanus cit. vocat *devassas*, easque tamquam *simplices informationes* habet; speciales autem appellat ipsam *rei accusationem*, et *judiciariam*, specialeme inquisitionem ex officio suscepitam (§. XVIII. Not.).

§. XXV.

Et de modo, quo reus inquinendus. Specialis inquisitionis finis est, ut eo certius, et celerius constet, an inquisitus verus criminis auctor sit, verus reus, an innocens. Ex quibus

con-

consequitur, 1) inquisitum interim pro reo, et
 ante sententiam condemnatoriam habendum non
 esse: 2) inquirendum primum generaliter de no-
 mine, aetate, officio, et habitatione: 3) de eo
 tantum crimen, de quo suspectus est, et inqui-
 sitio generalis praecessit: 4) et sine jurejurando,
 ne occasio perjurii detur, Ord. lib. 3. tit. 53.
 §. 11.: 5) ipsum per se inquirendum, non per
 curatorem, defensorem, vel procuratorem, in
 aliis articulis, *responsibleis* exceptis, omnino con-
 cedendum: 6) eumdem placide, et sine concus-
 sione examinandum: 7) a dolosis persuasionibus,
 et promissionibus sub spe impunitatis, vel poenae
 mitigandae causa factis abstinentiam: 8) et a cap-
 tiosis, et implicatis interrogationibus illius captui
 haud accommodatis: 9) et ab omni denique sug-
 gestione; quo nomine etiam *dolum*, quem *bonum*
 vocant, intelligimus, Coccej. Disput. LXXVI.
 De suggest. cap. ult. a n. 19: 10) in ipso ex-
 amine ad inquisiti vultum, pallorem, et similia
 extrinsecus signa respiciendum, Ord. lib. 1. tit.
 86. §. 1., l. 10. §. 5. De quaestionib.: 11) res-
 pansionem eisdemmet verbis, quibus ille usus fuit,
 ab actuario fideliter adnotandam, Ord. lib. 1. tit.
 79. §. 30. et lib. 5. tit. 117. §. 11.: 12) eam-
 dem, finito examine, eidem praelegendam, ut
 errorem quomodocumque commissum possit corri-
 gere, Ord. cit. tit. 79. §. 30: 13) inquirendum
 de singulis criminum circumstantiis, quae separa-
 tam singulis articulis, interrogationibusve, ut eo
 facilius intelligantur, declarandae; 14) et de cri-
 minis sociis, quatenus plerumque crimen cum so-
 ciis committitur: 15) momenta defensionis reo
 indicanda: 16) probationes, et conjecturas con-
 tra eum facientes communicandas, cet., quae ex
 dicendis patebunt, Boehmer. Elem. Jurispr. Crim.
 Sect. I. cap. X. §. CLXXXV.

§. XXVI.

Denun-
tiatio-
quid.

Denuntiatio, hoc est, *simplex delatio cri-
minis sine animo accusandi*, viam ad inquisitio-
nem parat. Denuntians nec de expensis cavere,
nec crimen denuntiatum, cuius vindictam judici
committit, probare tenetur; in quo ab accusatio-
ne, et querela distinguitur.

§. XXVII.

Quotu-
plex.

Est vel publica, quando delator suum nomen
prodit; *vel occulta*, quando illud celat; *jura-
ta*, *vel simplex*, *vel voluntaria*, quam denun-
tians sua sponte, *vel necessaria*, quam lege ju-
bente facit.

Huc non pertinet nec *denuntiatio evangelica*, de qua
Matth. XVIII., neque judici ecclesiastico facta eum in fi-
nem, non ut in delictum ex officio judicialiter inquirat,
sed ut de eo suspectum pastorali officio corrigit, et Do-
mino lucretur, et bonis adhortationibus ad illud sponte
confitendum inducat.

§. XXVIII.

Jure nos-
tro pro-
bata.

Has denuntiationis species leges nostrae pro-
bant. Nam *occultam*, et *necessariam* non modo
admittunt in crimine blasphemiae, Ord. lib. 5. tit.
2. §. 5., perduellionis tit. 6. §. 12., adulterinae
monetae tit. 12. §. ult., criminis *nefandi*, et si-
milium tit. 13. §. 5.; verum etiam delatores
praemiis afficiunt Ordinationes citatae. Itaque *vo-
luntariam* denuntiationem, sive publicam, sive
privatam, hoc est, aperto, vel suppresso nomi-
ne, de publicis omnibus delictis admittere viden-
tur, in quibus inquisitioni generali, speciali-
ve,

JURIS CRIMINALIS LUSITANI. 13 171
vel querelae locus est, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 31.
vers. *E ipso mesmo*, et lib. 5. tit. 118.: *necessariam*
in quibusdam tantum lege nominatim expressis.

§. XXIX.

Hoc tamen juris criminalis caput, quod se-
cretas denuntiationes admittit, magna ubique emen-
datione, si dicendum quod res est, indigere vi-
detur. Egregie divus Paulus in Act. Apostolor.
XXV. 16. : *Quia non est Romanis consuetudo*
damnare aliquem hominem, prius quam is, qui
accusatur, praesentes habeat accusatores, locum
defendendi accipiat ad abluenda crimina.

Optandum erat publicae, privataeque securitatis caussa,
ut occultis delatoribus omnis abrogaretur fides, Beccaria
in Tract. Dei delitti, et delle pene tom. I. pag. 28. edit.
Venet. 1781., Mr. Bernardi Principes des loix criminelles
III. P. §. II. Nam si quid reprehensione dignum quis com-
mittit, cur non aperto Marte oppugnetur? Si autem in-
nocens est, nec bona fides, nec recta ratio patitur, ut
diu ei impingatur ab ignoto adversario, cuius laqueos oc-
culte positos evitare non potest. Legi omnino hic mete-
tur Cicero pro Sexto Roscio Amerino §. XX., ubi odio-
sa delatorum natio vivis depingitur coloribus, et acriter
perstringitur.

§. XXX.

Haec autem non ita intelligi volumus, qua-
si occultae delationes numquam locum habere pos-
sint: cum enim Reipublicae intersit delicta haud
manere impunita, et facinorosi noctem peccatis,
fraudibusque suis querant, eisque nubem veluti
objiciant, illorum denuntiatio saepe utilis est; ita-
que certis sub conditionibus admittenda videtur:
1) de delictis gravioribus, praesertim commit-
tendis, non de jam commissis, et perfectis: 2)
de iis dumtaxat, quae contra Principem perpe-
trantur.

trantur , vel Rempublicam , verb. grat. perduel-
lionis , prodigionis , falsae monetæ , cet.: 3) pro-
videndum , ne delatores in re testimonium dicant ,
aut in rei necem cum testibus coeant: 4) testi-
bus e delatorum gente domove productis vix cre-
dendum : 5) inimici , vel quavis alia justa ratio-
ne suspecti , vel maligni , inquietive hominis de-
nuntiatio numquam admittenda ; sed illius tantum ,
quem vitae honestas , et boni mores commendant:
6) denuntiatio denuntiatoris nomen manifestan-
dum , si appareat ad suam defensionem fundan-
dam , vel ad avertendam inquisitionem esse ne-
cessarium : 7) vinculo sanguinis , et intimæ ami-
citiae aliquid indulgendum ; adeoque filii , con-
sanguineus , amicus , vel non cogendi parentes ,
proximiores conjunctos , et amicos denuntiare ;
vel , si umquam cogendi , eosdem licet non de-
nuntient , non propterea capite possunt damnari ,
sed vel omnino excusandi , vel extra ordinem pro-
delicti , et circumstantiarum qualitate mitius pu-
niendi. Auctor libri , qui sub tit. : *Derniers sen-
timents des plus illustres personages condamnés à
mort* , Parisis prodiit ann. 1775. tom. I. pag.
470. , haec habet: *Tous les gens de bien pleurerent
un homme , qui périssoit à l'âge de trente-cinq
ans , pour n'avoir pas voulu dénoncer son meilleur
ami* (Tit. V. §. XIII. h. Lib.). 8) Admittenda
tandem denuntiatio de delictis *specifica* , et iis
circumstantiis instructa , quae judici ad fidem de-
nuntiatori habendam animum inducunt ; 9) et de
iis tantum , quae *diutius sine scandalo dissimula-
ri* , vel *sine periculo tolerari non possunt* , uti lo-
quitur Pontifex in cap. 24. De accusat.: 10) prae-
standum denuntiatori *jusjurandum de veritate de-
latorum* : itaque nihil facienda denuntiatio in scri-
ptis suppresso nomine facta , Boehmer. Jur. Eccles.
Protest. ad tit. De accusat. §. XCII. cum seq.

Püttmannus Opuscul. Jur. Criminal. Prolus. : *De delatoribus praemiis haud excitandis.*

T I T U L U S XIV.

De pronunciatione reorum.

§. I.

PRONUNCIATIO (Lusitane *pronuncia*) nihil aliud Pronunciatio quid.
est, quam *judicis decretum super inquisitione*, vel querela datum, quod nomen rei continet, et modum, quo se ab *objeceto criminis purgare* debet.

§. II.

Differt a sententia *absolutoria*, vel *condemnatoria*, quae reum absolvit, vel condemnat, et caussam criminalem decidit; cum pronunciatio reum de crimen dumtaxat suspectum reddat, et pro qualitate suspicionis, et criminis liberationis (*livramento*) modum ab eo tenendum declareret.

§. III.

Pronunciatio judicis super inquisitione, vel Diversi querela, et rei de crimen *objecto liberatio*, vel *ordinaria* est, quando reus *solutus* se purgat a modi. criminis; vel *specialis*, quando *securus*, vel *captus* se liberat. Et hos diversos pronunciacionis, et liberationis modos in foro tandem receptos generaliter approbare videtur Ordinatio lib. 5. tit. 23. in fin. princ. et tit. 117. §. 18. et 19. Leit. de Jur. Lusit. Tract. III. *De inquisit.* Quaest. X.

§. IV.

§. IV.

De reo capiendo quando locum habeat. Pronunciatio de reo capiendo ferenda est in delictis dumtaxat gravioribus, quibus poena corporalis, vel carceris jure sit inficta, habita prius legitima probatione, quae, si judicialis foret, ad delatum ordinaria, vel saltem extraordinaria delicti poena condemnandum sufficeret. Et haec summa regula est.

§. V.

Ex quo consequitur, inde conseq*ta*xia. Ex quo consequitur, 1) judicium criminale non esse a delati captura incipiendum: 2) ad eam decernendam non satis esse morientis querelam; 3) nec suspicionem de fuga; nec 4) famam, vulgare rumorem de delicto; nec 5) informationem mere verbalem; 6) necessariam esse scriptam, ex actis, et *summario* constantem: 7) et probationem non qualecumque, sed *legitimam*, id est, *plenam*, vel *semiplenam*, ut vocant, quae, licet non sufficiat ad rei condemnationem, satis est in delictis gravioribus ad illius capturam.

Verus dumtaxat *reus*, vel *praesumptus* in carcerem con*jiciendus*: *praesumptio* autem non nisi ex testibus in *querelae*, *inquisitione* instrumento, utut parte non citata, productis deducenda est. *Merae conjecturae* non sufficiunt: sufficere tamen videntur *vehementes* ad capturam, Leit. *De inquisit.* Tract. III. Quæst. X. n. 4., quamvis non sufficient ad condemnationem, prout suo loco dicemus. Multum autem hic tribuendum prudentis judicis arbitrio, Ord. lib. 5. tit. 117. §. 12. in fin. In rixa Magistratus sine ulla *inquisitione*, et verbali tantum informatione eos comprehendere potest, quos in culpa esse existimaverit, intra biduum tamen relaxandos, ea non formata, Ord. lib. 1. tit. 65. §. 37. In criminibus capitalibus de eisdem delatos capere similiter potest, qui e carcere omnino sunt liberandi, culpa intra octo dies non formata, Novella di-
cta

Eta Da reformação da Justiça 6. Decembr. 1612. §. 14. Duos hos casus si excipiamus, in carcerem is tantum conjiciendus videtur, qui per querelam perfectam, vel inquisitionem specialem criminosus apparet, et haec est regula Ordinationis lib. 5. tit. 119. in princ., quam multiplies Alphonsi IV., Petri I., et Joannis I. leges confirmant, quarum meminit Ordinatio Alphonsina eod. lib. tit. 58. Nobiles primi ordinis non capiuntur sine Regis licentia, Ord. cit. tit. 119. §. 3. Qui in alterius territorio est, per litteras rogatorias ad illius judicem datas capiens, quae continere summatum debent nomen delinquentis, delictum, et probationis genus, Ord. tit. 119. §. ult. (Inst. de obligat. et act. Tit. IX. §. X.). Adversus decretum de reo capiendo recte interponitur *gravamen*, Phaeb. I. P. Arest. 101. Mend. in Prax. II. P. cap. I. §. I. n. 1.

§. VI.

Pronunciatio, quae reo concedit, ut *tamquam securus* liberetur, magis ex praxi, si loque forensi, quam ex legibus derivatur. Locum habet in criminibus levioribus, quae *securitatis litteras* ab eodem judice concedendas admittunt; et in *gravioribus* etiam non plene, et ut oportet probatis, ad capturam scilicet quod attinet decernendam, Ord. lib. 5. tit. 117. §. 18. et 19. ibi: *Quando pelos sumarios das querelas não for tanto provado, por que os querelados devem ser presos.* Et ita nimirum hanc praxim, quam sine lege esse fateor, defendit noster Leit. loc. cit. n. 20. et 21.

§. VII.

In criminibus levioribus occasione generalis alicujus inquisitionis cognitis locum habet pronunciatio, quam dicimus *ordinariam*, vel quia de ordinariis fit criminibus, vel quia ordine judiciorum ordinario instituitur, vel quia reus solitus se defendit; qui propterea ante sententiam nec

Pronun-
ciatio de
reο tam-
quam se-
curo li-
berando.

Pronun-
ciatio or-
dinaria,
et libera-

capi potest , nec in audiencia residere tenetur ,
Leit. cit. n. 22.

In capitalibus quoque delictis , reo capto , liberatio ordinaria eidem concedenda , et crimen modo ordinario per libellum , contestationem , cet. accusandum , ipseque defendantus , quando delictum ex inquisitione speciali contra reum habita , illiusve confessione plene et perficie probatum non appetat : quo casu summariae locus non est.

§. VIII.

Testibus in inquisitorio vel inquisitione tam generali , quam speciali processu productis fidem vix ullam adhibendam esse in iis , nulla fides adhibenda . Hic tandem monendum testibus in querela , quae ad causae criminalis decisionem , vel condemnationem spectant ; quippe quia absque partis citatione sunt producti , Ord. lib. 1. tit. 86. in princ. Fidem tamen judici faciunt ad querelam , inquisitionemve pronuntiandam .

Testes coram adversario examinandi , vel faltem , eo praefente , jusjurandum eisdem deferendum , Ord. cit. tit. 86. (alias 85.) in princ. ibi : O qual juramento Ihes será dado perante a parte , contra quem he chamada , se ella a quizer ver jurar , et lib. 3. tit. 62. §. 1. ibi : Perguntando as testemunhas outra vez , e vendo a parte como juraõ (Inst. De obligat. et act. Tit. XVII. §. VI.).

§. IX.

Nisi judiciales efficiantur , et examinentur , Ord. lib. 3. tit. 62. §. 1. , vel a reo tamquam judiciales habeantur , et approbentur , de quo speciatim instrumentum conficiendum est ab eodem subscriptum , et fide Tabellionis , duorumque testium munatum , Ord. lib. 1. tit. 24. §. 20. et lib. 3. tit. 32. §. 1. Haec tamen non ita

ita accipienda velim, quasi testes judiciales redditi per consensum, et expressam ratihabitionem adversarii perfectam probationem faciant in delictis praesertim gravioribus, vel in omnibus judiciis criminalibus indiscriminatim admittantur; sed quod processum inquisitorium, summo jure ob omissam citationem invalidum, validum non numquam efficiant, salvis semper reo exceptionibus; quod summe notandum est. Nam in criminalibus numquam juris fictiones admittendae, nec juris presumptiones quemadmodum in civilibus, sed verae tantum probationes.

§. X.

Quae cum ita sint, recte inde consequitur, 1) Et quae reum, qui testes *justitiae* fecit judiciales, non prohiberi eosdem confutare, et rejicere; nam ratihabitione juri suo non renuntiavit, sed effectum, et sollemnitatem tantum citationis in illius favorem a lege introductam, eadem approbante, supplevit, ac remisit: 2) hanc ratihabitionem, seu renuntiationem in levioribus tantum delictis, quibus poena pecuniaria est imposta, locum habere posse: 3) nullius momenti, et effectus esse in capitalibus, vel similibus, quae poenam *capitis*, infamiae, vel exsilii supra decem annos admittunt: 4) itaque his in criminibus sponte licet a reo factam non admittendam, et testes iterum, eo citato et praesente, examinandos; fieri enim potest, ut in hoc secundo examine quaedam addant, vel detrahant in ejus favorem: 5) testes mortuos, vel a Regno absentes in criminalibus fidem non facere, sed in civilibus tantum; et ita intelligendae Ordinationes lib. 3. tit. 16. §. 1. in fin. et tit. 62. §. 1.: 6) In processu *summario* ad praescriptum Ordinationis lib. 1. tit. 1. §. 16.,

quo reus jubetur intra quinque dies de jure , et factio dicere , testes in inquisitione productos , eo citato et praesente , esse examinandos , eodem licet invito et repugnante ; cum nemo sit dominus membrorum suorum , nec praeterea auctoritas judiciorum , et nostrorum temporum humanitas patitur , ut ubi de vita hominis agitur , vel minimum eorum praetermittatur , quae ad eum redendum , vel debitibus poenis coercendum quoquo modo facere videntur. Accedit , quod secundum hoc testimoniū examen et ratio naturalis , et civilis , et rectus judiciorum ordo , in capitalibus praesertim caussis adamissim observandus , quam maxime postulare videtur. Absurda igitur est praxis in contrarium , quam legitimam non facit sola Phaebi auctoritas II. P. Arest. 188. Meliora multo sunt , quae tradit Mendes in Praxi lib. V. cap. I. §. VI. , ubi nobiscum fere consentit. Illud tandem consequitur (quod hic obiter adnotare placet) processus criminalis errores sive *substantiales* , ut vocant , sive *accidentales* processum vitiare , nec in Senatu ipso suppleri posse , nulla enim lex , quam sciam , ad hunc usque diem similem potestatem Senatui in criminalibus dedit ; namque Ordinatio lib. 3. tit. 63. de civilibus loquitur.

TITULUS XV.

De reo sub homagio , vel fidejussoribus capti.

§. I.

Capti dicuntur rei sub homagio , et fidejussoribus qui sub homagio , magio , vel fidejussoribus se defendunt ; cum non possint a judicio abesse , nec a loco destinato impune recedere , Phaeb. I. P. Decis. III. n. 3. 4. 5. 6. quare.

§. II.

§. II.

Homagium hic dicitur *privilegium*, quod ^{Homa-}
Nobiles a carcere publico, donec criminalis sen- ^{giām}
tentia lata fuerit, liberat, certo eisdem loco pro ^{quid,}
custodia assignato.

Non una est homagii significatio: speciatim tamen acci-
 pitur et pro jurejurando *fidelitatis*, seu *clientelae*, et pro
 jure liberae custodiae, quae Nobilibus modo laxius, mo-
 do strictius pro illorum qualitate, et delicti concedenda est
 (Tit. I. h. Lib. §. XX.).

§. III.

Concessum est Nobilibus Ord. lib. 5. tit. Quibus
 120. Emm. 67. Alph. 94. recensitis, quales sunt ^{conces-}
 1) nobili genere nati : 2) Nobilium in codi- ^{sam.}
 cem allecti : 3) Nobiles, quos simpliciter Equi-
 tes dicimus : 4.) Equites bello facti, et a Re-
 ge speciali Diplomate confirmati : 5) Equites
 Sacrarum Regni Militiarum : 6) Senatores : 7)
 Juris utriusque, et Medicinae Doctores : 8) Re-
 gii patrimonii, et Senatus Scribae: 9) illorum
 uxores, et viduae honeste viventes. Quibus vul-
 go adjungi solent Magistratus inferiores, veluti
 Praetores, Provisores, Judices *foranei*, Theolo-
 giae, Philosophiaeque Doctores, Publici et Re-
 gii Professores, Advocati, et alii fortasse, quorum
 nullam mentionem facit Ordinatio citata. Paren-
 tes nobilitate filiorum gaudent, et per eos homa-
 gio fruuntur, Phaeb. Decis. 154. et Arest. 76.

§. IV.

Ast concessum in caussis tantum pecuniariis. Et in
 Quare homagium in criminibus natura sua famo- ^{quibus}
 Z ii ^{delictis,}

sis, quibus nobilitas amittitur, vel non famosis, quae morte naturali, vel civili plectuntur, locum non habet, Ord. cit. Mori autem civiliter dicuntur non solum *banniti*, proscripti, et civitatis iuribus a lege, vel ab homine, id est, judicis sententia privati; verum etiam relegati perpetuo, vel ad tempus cum publicatione bonorum, Phaeb. II. P. Decis. 155. (Inst. De Jur. Personar. Tit. II. §. XII. XIII. et Tit. V. §. XXI.).

§. V.

*A qui-
bus, et
quomodo
conce-
dendum,
et de-
fracti ho-
magii
poena.*

Petendum homagium a judice, qui capturam decrevit, Ord. cit. tit. 120. in princ. ibi: *Seraõ presos sobre suas homenagens; as quaes devem fa-
zer aos Juizes, que os prenderem, ou manda-
rem prender.* Illud autem a judice sine ulla prævia informatione, et adversarii citatione concedendum, quando nobilitas manifesta est, et notoria, Ord. lib. 3. tit. 86. §. 18. ibi: *Será preso con-
forme a qualidade da sua pessoa.* In dubio non nisi eo auditio concedi debet, et interim reus carcere publico detinendus, Phaeb. II. P. Arest. 50. Non potest judex, a quo appellatio, vel gravamen conceditur, homagium a se datum ampliare, et longius extendere: bene tamen ex justa causa Domus Supplicationis Rector, vel Portuensis Senatus Gubernator, Vallasc. Allegat. 13. n. 10. 11. Qui homagii fidem violavit, et a loco assignato dilcescit, privilegium amittit, et in vincula publica propterea conjiciendus est, a quibus non nisi speciali Regis Diplomate fracti homagii restitucionem concedente relaxari potest, Ord. lib. 5. tit. 120. §. ult. (Tit. I. §. XX.).

§. VI.

Reus publico carcere detentus jure nostro ab eo non liberatur , nec suae promissioni committitur , quamvis delictum levius sit , et amplissimas habeat facultates ; quod aliter se habet jure Romano I. i. De custod. et exhibit. reor.

§. VII.

Relaxatur tamen sub fidejussoribus datis de reo quandocumque evocatus fuerit judici exhibendo , de expensis , et damnis solvendis , et mulcta , quae emenda dicitur , Ord. lib. 5. tit. 131. in princ. ibi : *Sejaõ obrigadas á emenda , satisfaçāo , e custas.* Reo fugam capiente , fidejussor eamdem sustinet poenam , quam ipse , si non aufugeret , sustinere debuisset. De expensis autem , damno , et emendatione tenetur , fidejussione quoquo modo fracta , quod sit , reo statis diebus in judicio non comparente , Ord. cit. §. 1.

Fidejussiones criminales sive a Romanis , sive a Germanis , et finitimis populis deriventur , scire parum , aut nihil interest . Heinecc. Elem. Jur. Germ. lib. III. tit. IX. §. CCCXLIX. Illud certum est , illarum usum jam sub Dionysio Rege invaluisse ; quippe qui §. Jun. aer. 1356. apud Ord. Alph. lib. 5. tit. 51. Philipp. tit. 132. legem tulit , qua prohibitum reos captos , et publicis carceribus detentos ante sententiam relaxare , eodemque suae fidei , vel aliorum committere , vel sub fidejussoribus dare. Progressu tamen temporis haec facultas , quae singulis Magistratibus ante Dionysium competit , ad Palatii Curiam producta fuit , eique tantum concepta , et eatenus jus antiquum reductum. Quae jus Romanum in tit. ff. De cust. et exhibit. reor. habet , non omnia legibus nostris , moribusque convenient.

§. VIII.

§. VIII.

Quibus
criminib-
bus ad-
mitten-
da, et a
quibus
judici-
bus.

In delictis capitalem, corporalemve poenam habentibus fidejussores non admittuntur; neque profecto ad eam subeundam quisquam obligare se potest, cum nemo sit dominus membrorum suorum. Tenet tamen obligatio ad expensas, damnum, et emendationem quod attinet. Quod si carceribus mancipatus ob delictum capitale tam multa habeat, et pro se alleget, ut non verendum sit capitis supplicium, fidejussores admittendi, et iis datis relaxandus. Eiusmodi autem liberationem, cum legum quamdam dispensationem contineat, Palatii tantum Curia concedit, habita prius judicis delicti informatione, Regim. Palat. §. 24. et seq. deductis ex Extravag. apud Leon. P. I. tit. 4. l. 1. n. 105. Consilium Generale Sancti Officii Officialebus suis, ceterisque privilegiatis rescriptum fidejusorum criminale, quemadmodum Curia Palatii, concedit, Dipl. 4. Febr. 1645. apud Guerrer. De privileg. familiar. cap. XVI. in fin.

§. IX.

Et qui-
bus mo-
dis sol-
vitur.

Solvitur obligatio fidejusoris criminalis specialibus his modis, 1) rei principalis captura, Ord. lib. 5. tit. 131. §. 1. ibi: *E os fidiores fi- cardō desobrigados da fiança tantoque elles pre- fess forem:* 2) sententia criminali intra tempus fidejusorii rescripti prolata; nam ad sententiam usque fidejusor se tantum voluit obligare; 3) adeoque, ea lata, obligatio statim solvit, et priusquam reus in judicio se sistat, captus sit, vel condemnationem solvat, Phaeb. II. P. Decis. 131. n. 6.: 4) morte rei principalis, qua sequuta, nulla jam de crimine, vel de fidejussione illius occasio-

ne

ne orta quaestio haberi potest; 5) et fidejussoris ipsius; accessoria enim haec obligatio, cum delictum pro fundamento habeat, pro criminali habenda videtur, quae ad heredes non transit: 6) tempore praeterlapso, quod fuit fidejussionis rescripto comprehensum. Itaque, prorogato tempore, non censetur prorogata fidejusso sine expresso fidejussoris consensu; namque, veniente die primi rescripti, obligatio fidejussoria ad eumdem restrita extinguitur; quam ad secundum rescriptum, vel tertium in Palatii Curia postea concessum extendere nulla civilis, naturalisve ratio patitur, Mend. in Prax. II. P. lib. V. cap. I. Append. III. n. 29.

Obstat Ordinatio cit. tit. 131. §. 3. Emm. 92., ubi fidejusso criminalis ad tempus data, eo lapso, non extinguitur, ibi: *E quando alguma pessoa for dada sobre fiança, para se livrar até certo tempo, e depois lhe for reformado huma vez, ou muitas, sempre a fiança ficará obrigada, como d'antes era, sem os fiadores, e abonadores poderem allegar, que não ficiarão mais que até certo tempo.* Eadem Ordinatione fidejussores ex contractu pro redditibus regiis ad certum tempus dati, perpetuo tenentur, et non nisi debito soluto liberantur, ibi: *O que também haverá lugar em quaisquer fianças feitas para quaisquer contratos, ou rendas nossas. E posto que os fiadores nas fianças digão que fiaõ com contraria condiçao, sem embargo desta Ordenação, a tal clausula não valera coufa alguma.* Jam vero quod quis relutans, et invitus ultra id, quod promisit, et quod expresse stipulatus fuit, obligetur, adeo absolum est, ut nihil supra: et hoc tamen Ordinatione citata statutum est, quam ego a manifesta iniustitate defendere non audeo. Scio equidem, quod Phaebus II. P. Decis. 131., et alii eamdem intelligant de tempore solutioni, non obligationi apposito, quasi obligatio duret, si solutioni, extinguitur autem, si obligationi apponatur: et hoc modo bene se habere, et juris rationi conformem esse existimant. Sed praeterquam quod res haec explicatu difficultis est, et, quo cumque modo concipiatur, semper verum sit fidejussorem sine consensu obligari, quod juris ratio minime patitur: piaefata distinctio parum ad illius defensionem facit. Refe-

renda ergo est et ad jus Romanum summum et strictum, quo attento, tempus modus non erat solvendae obligacionis, et ad fisci singularem, inusitatumque favorem, qui in posterioribus praelertim Romanorum legibus utramque facit paginam: quae duo Compilatores induxerunt, ut statuerent fidejussores criminales, vel civiles ex contractu, prorogato tempore, vel ad solvendum, vel ad comparendum in judicio invitos licet et repugnantes in fisci favorem teneri. Haec vero jurisprudentia, quae nulla ratione, sed mera subtilitate nititur, hodie locum habere non potest (Inst. De Jur. Rer. Tit. VII. § VIII. et de obligat. et act. Tit. V. §. V.).

§. X.

De custodia rei fidejussoribus liberazione, de qua Ord. cit. lib. 5. tit. 132. Emm. 92. Sequitur specialis fidejussio jure nostro ad inventa, per quam reus non a crimen, sed a carcere publico sub fidejussoribus, qui illius custodiam promittant, se petit liberari; quos dicimus *fieis carcereiros*, de quibus eadem Ordinatione tit. 132. Emm. 92. nominatim agitur. Hae fidejussiones, quamvis diversae sua natura sint, et de singulis propterea diversis titulis agatur; quia tamen ad eundem principalem finem tendunt, hoc est, ad liberationem a carcere publico, vix inter se distinguunt, et eodem rescripto conjungi solent, Ord. cit. tit. 132., Phaeb. II. P. Areft. 133.

Easdem similiter non judices criminales, sed Palatii Curia in levioribus tantum delictis concedit, Ord. cit. Jam vero libera sub fidejussoribus custodia maximo prosequenda est favore: per eam enim criminales leges plus justo rigidores quodammodo mitescunt, et humaniores efficiuntur. Nam quamvis in carcerem detrudi haud possint, nisi in flagranti deprehensi, vel judicis sententia condemnati, vel propria confessione convicti, vel saltem violentis indiciis suspediti; nec praeterea decreto ut *corpus habeas* (quod in Anglia religiose servatur) locus sit in criminibus pecuniarisi, sed in capitalibus tantum, vel quasi, tamen cum omnium gentium le-

leges multa hic relinquunt arbitrio judicis, qui nihil magis quam officium suum ignorat, quique per summam inficiam, vel malitiam sibi persuadet posse innocentem, licet sine ullis indiciis, vel non sufficientibus *motu proprio*, seu *de potentia*, ut loquuntur, vel ad potentioris preces, vel *correctionis* causa ad tres dies in carcere conjicere; qua jurisprudentia nulla certe humano generi periculosior exco-gitari potest: quoad leges criminales in melius non refor-mantur, nec judices apparent iis naribus et sapientia praediti, ut judicium de vita, et libertate civium minore cum periculo eisdem committendum videatur; in ea ego sum sent-tentia, reum vel in carcere recipiendum, vel fidejussoribus committendum, vel suae demum promissioni pro criminis, quod objicitur, qualitate, vel propter honores, et amplissimas facultates, vel pro dignitate ejus, qui accusatur: adeoque in carcere vix conjiciendum, qui fidejussores dare paratus est. Et haec fere est juris Romani doctrina in l. 1. et 3. De custod. et exhibit. reor., quam approbatam, et amplificatam videmus in novo Magni Toscanae Ducis Codice §. XV. et seq., in Instructionibus Russiano Codici faciendo datis §. CLVIII. et sequentib., et in Constitutione Pensylvaniae cap. II. Sect. XXXIX.

T I T U L U S XVI.

De securitatis litteris.

§. I.

Per securitatis litteras nos hic intelligimus Quae se-judicis competentis decretum, quo reo ad curitatis capturam pronuntiato conceditur, ut impune pos-sit ad judicium venire, et solutus ab obje^eto cri-mine sub certis clausulis liberari. Differunt a liberatione sub fidejussoribus, 1) quia nullos fide-jussores desiderant: 2) quia non a Palatii praeci-se Senatoribus, sed a Praetoribus, et judicibus aliis, de quibus §. IX. h. Tit., conceduntur: 3) quia ad capturam tantum pronuntiatis, ast non dum captis, nec publico jam carcere receptis dan-tur. Alias differentias prosequitur Phaebus II. P.

Arest. 161. Differunt etiam a *salvo-conductu* judiciali, qui reo absenti, et petenti tantum conceditur sub cautione fidejussoria, vel saltem pignoratitia, Boehmer. Elem. Jurispr. Criminal. Sect. I. cap. VIII. §. CLIII. et CLXI.

§. II.

*De ex-
rum ori-
gine, et
justitia.*

Illarum origo Patriis legibus, et moribus antiquis debetur. Et cum justa, et publica de causa, quae hodie etiam durat, a principio sint introductae; earum usus non videtur abrogandus, quod Mendesio nostro placuit; sed retinendus, et longe lateque, si fieri possit, amplificandus.

Frustra litterarum securitatis origo a jure Romano petitur, quod jam alibi diximus. Petrus I. *generales securitatis* litteras in omnibus criminibus, proditoris exceptis, ad populi rogationem concessit in Comitiis *Helbis* civitate habitis. Joannes I. illarum promiscuum usum certis limitibus inclusit speciali lege Ord. Alph. lib. 5. tit. 57. relata; ex qua Philippina eodem libro tit. 129. et Emmanuelle tit. 49. fuit deducta. Accesserunt Extravagantes 6. Decembr. 1612. 20. Jan. 1622. 29. Mart. 1719. 16. Aug. 1722. cet., quarum vel solum numerum inire difficultissimum; infinitus enim propemodum est. Iis concedendis duo haec potissimum in causa fuerunt. *Primum*, quod patrum fidei haberi debeat inquisitionibus, querelis, et denuntiationibus five generalibus, five specialibus occultis, secretis, et extrajudicialibus, hoc est, adversario absente, vel eo non citato producitis. *Alterum*, quod hujusmodi inquisitiones tandem apud nos receptae cum frequentiores in dies essent, et judices de levibus etiam criminibus vel leviter suspectos ad capturam pronuntiarent; itaque eveniret, ut boni aliquoquin cives metu carceris (qui quidem invirum constantem cadit) a Regno aufugerent, et discederent apud exterios sedes quaerentes: bene ac sapienter constitutum fuit, ut, omni timore depulso, securi ab obiecto criminis liberarentur. Articulo 84. Comitorum *Helbis* legitur: *As que dixerit no oitenta e quattro artigo, que nimitos naturaes da noſſa terra andam fóra della por alquius malifícios, em que os culpan, e rececam de vir eſtar a di- reis.*

reito, porque som tiradas em seus feitos enquirigoos devassas, as quaes a elles som muito suspeitas, por algauas testemunhas que hi som perguntaadas, que per direito lhes nom enpeceriam seus ditos, e por Tabullianens outro sy: e que se seguros fossem, ataa que contra elles fosse achado judicialmente per que devessem ser presos, veriam pera a terra, e povalla-hiam, o que a Nos seria servizo: e pediam-nos por merce, que mandassemos dar a todos Cartas Geraes, per que fossem seguros pollos maleficios, que lhes era dito que fezcom, perante os Juizes das Comarcas, pela guisa sufo dita. Haec cum ita sint, et quandiu leges criminales similes steterint, utilis, et necessarius est litteratum securitatis usus, isque nullatus abrogandus, quod Mendesio nostro in votis erat.

§. III.

Distinguendae nostrae securitatis litterae a se-
curitatibus, quas dicimus *seguranças Reaes*, de-
quibus Ord. lib. I. tit. 7. §. 20. et lib. 5. tit. 128.
Emm. 50. Has enim judices criminales concedunt
non criminosis, et nocentibus publicis carceribus
recipiendis, sed innocentibus, et afflictis, qui ali-
quid contra legem a quibusdam sibi existimant
perpetrari, quibus licet adire judicem, et legi-
timum postulare praesidium, uti loquitur Mar-
cianus Imperator in l. 5. Cod. De his, qui ad
Eccles. confug. Pertinent ad officium omnium ju-
dicum, et omnibus, qui sibi ab aliquo timent,
qui propterea auxilium *justitiae* implorant,
concedendae, habita prius a judice brevi, et extra-
judiciali informatione, Cabed. I. P. Decif. 25.

§. IV.

Immunitas, seu asylum civile certis locis Et a se-
concessum, securitatis quaedam species est, et lit- curitati-
terae ab illorum judicibus specialibus datae, qui- bus, quae
bus liber commeatus per Regnum, certasve Regni jure asyli
provincias ad certum usque tempus conceditur, conce-
duntur.

securitatis non male appellantur , Ord. lib. 5. tit. 123. Emm. 52. Alph. 61. Diversas tamen eas esse , et toto coelo distare a securitatibus , de quibus agimus , facile unusquisque animadvertis.

Cominia , Nouel , et alia ad Regni extrema oppida nobis olim tamquam civitates quaedam refugii habebantur , et asylum nocentibus dabant ; quod , melioribus temporibus exortis , tandem aliquando a Petro II. abrogatum fuit Novella 10. Januar. 1692. (Inst. Jur. Publ. Tit. VI. §. XV. Not.).

§. V.

Differen-
tia secu-
ritatis
litterarum inter-
fe-

Sunt igitur nostrae securitatis litterae vel *affirmativa*e , seu *confessativa*e , Ord. lib. 5. tit. 129. in princ. et §. 1. tit. 124. §. 23. et lib. 1. tit. 15. in princ. ; vel simpliciter *negativa*e , Ord. cit. ; vel *coartatae* , Novell. 6. Decembris. 1612. §. 1. apud Ord. lib. 5. tit. 129. Collect. I. N. I.

§. VI.

De char-
ta secu-
ritatis
affirma-
tiva.

Chartam confessivam petit , qui delictum commissum quidem a se fatetur , sed in tutelam sui corporis , vel ob aliam justam caussam , quae delictum excludat , quem propterea exprimere debet. Haec autem pro impenetranda securitate de delicto confessio , cum sponte non fiat , sed metu careeris , tatis non est ad rei condemnationem , nisi aliunde delictum legitime proberetur , Ord. lib. 5. tit. 124. §. 21. ibi : *O tomar da Carta , ou Alvará , e o quebramento della o naõ obrigue a pena alguma* , Cabed. I. P. Decis. 6-. n. 2. Phaeb. I. P. Areſt. 126. Vallalc. Allegat. 67. n. 37.

§. VII.

§. VII.

Negativam petit reus, qui de innocentia sua *Negativa*, et securus delictum absolute et simpliciter negat, *coarctata*. eaque sine ulla informatione statim concedenda. Hic tamen praeceps non requiritur specialis mentione delicti; satis est petitio generalis a reo judici porrecta, quod eum ab omnibus criminibus, de quibus jure potest, *securum* praestet, Phaeb. I. P. Arrest. 136. Leit. De securitatib. Quaest. XV. Non numquam *affirmativa* cum *negativa* concurrit, quod sit quando delictum unum cum defensione fatetur, et alia generatim, vel speciatim negantur. *Negativam coarctatam* qui petit, negat quidem delictum, sed praeterea addit se eo die, quo commissum dicitur, tam longe ab illius loco absesse, ut non posset per rerum naturam illud committere, Ord. lib. 5. tit. 124. §. 1. Ad hanc vero chartam impetrandam nominandum necessario est delictum cum omnibus qualitatibus, quae illud minuere, vel augere solent, nec ea conceditur, nisi viso prius inquisitionis, querelaeve processu ex cit. Extravag. 6. Decembr. 1612. §. 1.

§. VIII.

Securitatis litteris semel concessis, non est *Ante carceri mancipandus* reus ante conclusionem in *conclusionem* *securus* *in carcere-* caussa, neque, eadem etiam conclusa, si apparet, viso processu, reum absolendum, Ord. lib. 5. tit. 124. §. 5. 22. et 23. Et hic praecepimus, rem mitendus. et naturalis effectus est similium litterarum, quem iudex, et reus prae se habuerunt in illarum concessione, quemque misifice probat clausula eisdem apponi solita: *Que naõ seja preso até se achar contra elle, porque o deva ser.* Et inde consequi-

quitur, 1) non esse reum carceri mancipandum tempore, quo testes et attestations publicantur; nec 2), quo lis contestatur; vel 3), quo caussa sit conclusa, nisi ex actis constet reum condemnandum: adeoque 4) securitatis litteras a quocumque judice concessas (modo competens is sit) sive confessivas, sive negativas, reum ad conclusionem usque in caussa a carcere liberare, quamdiu is terminos eisdem praescriptos non transgreditur.

Multum tamen obstat Ordinatio lib. 5. tit. 129. §. ult: deducta ex Sebastiani Regis Diplomate 21. Jan. 1564: apud Leon. p. 3. tit. 3. l. 3., ubi, non obstante charta securitatis negativa, judex, qui de caussa cognoscit, debet in carcerem conjicere reum ad capturam pronuntiatum per judices ibidem designatos. Multum etiam obstat Extravag. 6. Decembr. 1612. §. 3. et 4., qua judex reum, qui confessivam, vel negativam obtinuit, capere jubetur, si litis contestationis tempore appareat eum ex inquisitionis probationibus esse condemnandum, nec ullam eidem de delicto defensionem competere, eadem inquisitione vita. Enimvero nova haec jura in caussa fuerunt, ut multum diuque inter Praxistas nostros disputaretur: *an, et quando securus capi debeat, et quando delictum ita probatum videatur, ut propterea, securitatis litteris non obstantibus, in carcere conjiciendus sit?* Ego vero existimo securitatem a judice competente concessam religiose servandam ut in iustam, modo ad legis praescriptum data sit. Deinde in ea opinione sum, probationes ex generali, speciali inquisitione deductas, quamvis satis sint ad capturam pronuntiandam, non esse suffientes ad rei condemnationem. Itaque reus priusquam litem contestetur, et suas deducat exceptiones, pro vero nocente habendus non est, neque in carcere conjiciendus. Et inde consequitur manifeste iustam, et iniquam eam legem esse, quae praecepit, ut judex fidem, quam de reo non capiendo dedit, frangat, quamdiu ab eo securus, et qui fidem suam recepit, terminos eadem praescriptos non transgreditur. Alter Phaebus, Vallascus, Leitanus de securitatib. Quaest. III., cet. quos resellere otium non est.

§. IX.

Securitates in omnibus delictis etiam gravis A quibus
 simis conceduntur, qualia sunt apostasia in saecu- judici-
 lari judicio tractata, proditio sub specie amici- quibus in
 tiae commissa, adulterina moneta, sodomia, vis bus, et
 in Judices, eorumve Officiales, et homicidium quando
 dolosum, de quibus securitatem praestant Curiae criminis
 Praetores Criminales, viso in Senatu processu, quando
 Ord. lib. 1. tit. 7. §. 8. 9. 10. Novell. 6. De- conce-
 cembr. 1612. §. 1. De aliis criminibus securos reos denda se-
 praestant Praetores provinciarum, Ord. lib. 1. tit.
 58. §. 40. Auditores Dominorum securitates haud curitas;
 concedebant sine speciali privilegio: hodie, cum et con-
 Praetoribus Regiis exaequati sint, et eodem nomi- cessa
 ne utantur Novell. Constit. 19. Iul. 1790., eas- violanda
 dem possunt concedere. Officialibus justitiae pro-
 delictis in officio suo commissis iudex dumtaxat
 Cancellariae securitatem concedit, Ord. lib. 1. tit.
 7. §. 13. et tit. 14. §. 1. Reus oeconomici, po-
 liticive delicti, veluti qui armis prohibitis utitur,
 jura, et census indebitos praesumit, monopolium
 ve exercet, non potest securitatis litteras impetra-
 re, Novell. 17. Decembr. 1616. 29. Mart. 1719.
 Decret. 3. Octobr. 1632. 25. Januar. 1769. 1.
 Mart. 1692. 1. Jun. 1752. Possunt judices, qui-
 bus securitatis chartas concedendi facultas compe-
 tit, tres numero concedere, Ord. lib. 5. tit. 129.
 §. 2: quarta non conceditur sine speciali Palatii
 Curiae Diplomate, §. 80. illius Regim. Peti po-
 test, et impetrari statim post delictum commissum.
 Pro homicidio tamen, vel gravibus inflictis vul-
 neribus negativa non nisi post tres menses, vel
 triginta transactos dies petenda est, Ord. lib. 5.
 tit. 129. in princ. deducta ex Joannis I. lege apud
 Alph. Ord. lib. 5. tit. 44. Confessativa statim pe-
 ti

ti potest. *Negativa coarctata* pro eodem crimen non conceditur ante finitam super eo inquisitionem ex dicta Novella 6. Decembr. 1612. Hodie ex eadem Novella §. 5. non valet charta securitatis, nec reum a carcere defendit, nisi perfecta sit, et omnino expedita in Cancellaria; quae olim semel a judice decreta triduo reum defendebat, Ord. lib. 1. tit. 7. §. 14. et lib. 5. tit. 129. §. 3. Violatur securitas (*quebrar a Carta*), et reus in carcerem detruditur, 1) si intra novem dies litteris praescriptos se in judicio non sistit: 2) si in audiencie non comparet, Ord. lib. 5. tit. 124. §. 20. et lib. 1. tit. 26. §. 6.: 3) si adversarium intra definitum tempus non facit citare: 4) homicidii reus si in loco delicti sit deprehensus, Leit. De securitatibus. Quaest. X.: 5.) si ad jurisdictionem ecclesiasticam confugit per exceptionem *clericatus*, vel similes *declinatorias*, Ord. lib. 5. tit. 124. §. 13.

Quod ex Juliano dicitur in l. 20. De legib. : *Non omnium, quae a majoribus nostris constituta sunt, ratio reddere potest*, id vel maxime in nostris securitatis litteris locum habere videtur. A principio enim magnis rationibus introductae, et publica lege firmatae in criminibus etiam atrocissimis admittebantur; postea vero quam earum introducendarum ratio vel non satis cognita fuit atque perspecta, vel, ea insuperhabita, alia principia insurrerunt: adeoque visum fuit nostris legumlatoribus, seu potius JCTis, eisdem magis in *simplici* aequitate naturali, quam in *composita*, id est, vera, et legali consistere: inde effecitum est, ut securitatis litterae, quae in homicidio verb. grat. hodie etiam dum ob legum antiquarum reverentiam recipiuntur, in crimen monopolii, et aliis similibus multo quidem levioribus rejiciantur: itaque harum litterarum usus omnino retinendus, et fortasse amplificandus, novis legibus admodum restricitus fuit. Jure, an injuria alii videant. In tanta autem iurium diversitate, qui eadem componere possit, et axiomatica inde, et generalia juris principia deducere, ex quibus conclusiones particulares sua quasi sponte nascantur, erit mihi magnus Apollo (§. II. h. Tit.).

TITULUS XVII.

De probatione criminum.

§. I.

Dicitur probatio, *actus judicialis*, quo judi- Probatio
ci inquirenti de veritate delicti a reo com- quid.
missi plena, et legitima fides fit. De probatione
in criminalibus spuria speciali exercitatione agit
Boehmerus tom. IV. pag. 146.

§. II.

Plena judicii fides fit, et probatio vel per Fides;
testes fide dignos, et omni exceptione maiores, et pro-
batio
vel per spontaneam, et judicialem de delicto con- plena,
fessionem, vel per instrumenta.

Hi probandi modi quamvis non ejus generis sint, ut
inde etiā possit certitudo metaphysica, vel physica, ut vocant,
sed moralis tantum: fallere enim per rerum naturam po-
lunt: cum tamen omnes gentes eos admittant, nec alios
certiores habeamus; eisdem fides plena necessario a judge
adhibenda est.

§. III.

Minus plena vulgo ex conjecturis, et indiciis Et minus
potissimum deducitur; quae, cum sua natura fal- plena, seu
lacia sint, plenam fidem non faciunt, nec judi- de indiciis.
cem de criminis auctore certum reddunt (Tit.
XVIII. §. V.).

Inter legitimos probandi modos an saltem indicia, quae
vocant *indubitate*, referri debeant, diu multumque inter
JCtos, et Rhetores, Oratoresque disputatur. Affirmat cum
aliis Antonius Matthaeus de criminib. ad lib. XLVIII, tit.

Tom. V.

Bb

151

15. cap. 6., fatus in primis auctoritate Imperatorum in I. ult. Cod. De probat., quam multis rationum momentis confirmat; et haec eadem sententia est Quintiliani lib. V. Inst. Orator. cap. IX. XII., Ciceronis lib. II. de Orator. §. XL. et lib. I. de divinat. §. XXVII., ubi cum duo quidam Arcades familiares iter una facerent, et Megaram venissent, et alter ad cauponem divertisset, ad hospitem alter, visum est ei, qui erat in hospitio, illum alterum orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur. Eum primo perterritum somnio surrexisse; dein cum se collegisset, idque visum pro nibilo habendum esse duxisset, recubuisse. Tum ei dormienti eumdem illum visum esse rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur: te imperfectum in plastrum a caupone esse conjectum, et supra stercus injectum: petere, ut mane ad portam adesset, priusquam plastrum ex oppido exiret. Hoc vero somnio eum commotum, mane bubulco praefeo ad portam fuisse: quae fuisse ex eo, quid esset in plaastro: illum perterritum fuisse: mortum erutum esse: cauponem, re patefacta, poenas dedisse. Quod probat ex conjecturis illum a caupone fuisse interemptum. Alii simpliciter negant, gravissimis licet indicis oneratum, cum vere convictus non sit, ulla poena esse afficiendum, provocantes ad legem §. De poen., ubi dicitur *ex suspicionibus neminem damnandum esse*. Media cum aliis via incedit Diodorus Tuldenus ad tit. Cod. De probat. n. 22., existimans gravioribus argumentis convictum, vel oneratum condemnari quidem non posse poena *ordinaria*, bene tamen *extraordinaria* pro qualitate indiciorum. Ego vero vix intelligo, quomodo *indubitate* *indicia* dici possint, quae judicem plene non convincunt, nec certum de delicto, et delinquentे redditum? Nam si eum convincunt, et plenam fidem faciunt, non jam *indicia* habemus, sed certitudinem, id est, legitimam probationem (Tit. XVIII. §. III.).

§. IV.

Axioma-
ta que-
dam cri-
minalia. Haec itaque in criminum probatione tamquam axiomata tenenda.

I. Condemnandus est nemo sine legitima, et plena probatione, quae luce meridiana clarior esse debet, l. 16. Cod. De poen. l. ult. Cod. De probat. l. ult. Cod. Si ex fals. instrum.

2. Talis est, quae ad legis praescriptum instituitur:

3. Quae judicem de facto illico, et illius auctore certum reddit.

4. Plena igitur probatio ex praesumptionibus, et indiciis natura sua fallacibus non resultat.

5. *Semiplena*, quae dicitur, probatio in criminalibus nihili ferme facienda.

6. Nec excipimus crimina *privilegiata*; nam quo gravius est delictum, eo maiores requiruntur probationes.

7. Reus de criminis accusatus, et propterea carcere inclusus, prius quam de eo convictus sit, pro nocente habendus non est.

8. Plena, et perfecta est probatio, cui judex ipse, eadem ab alio condemnatus, adquiesceret.

9. Probationes quo magis distinctae, et separatae inter se sunt, eo majorem fidem faciunt.

10. Convictio intima, quam judex a se ipso habuit, veluti per oculatam inspectionem, quamvis certior ea sit, quae per testes, vel aliunde habetur, fidem non facit, cum ex actis non resulteret, secundum quae judex debet judicare.

11. In criminalibus termini *probatorii* non sunt *peremptorii*; adeoque probationes ad sententiam usque admittendae tam ex parte rei, quam actoris (Tit. I. §. XXVIII.). *Lilangieri* tom. III. cap. XV. P. I.

§. V.

Probatio legitima fit *per testes* (§. II.) duos ^{Probatio}
ad minimum, oculos, juratos, omni exceptione ^{per tes-}
majores, et contestes re, loco, et tempore, con-
gruamque testimonii sui rationem reddentes.

Neque praecise requiritur, ut reus delictum confiteatur;

haec enim probatio solitaria satis est ad illius condemnationem, Coccej. Jur. Controv. ad tit. De testib. Quaest. I.

§. VI.

*Testes
singula-
res, ex
auditu.*

Quum duo saltem testes ad fidem faciendam requirantur (§. V.); sequitur, ut unus haud sufficiat, utut magna auctoritate, doctrina, et nobilitate praeditus sit, etiam in delictis atrocioribus, et *privilegiatis*, Valer. Maxim. lib. IV. cap. I. n. 11. Faber in Cod. lib. IV. tit. 14. Definit. 67. Testibus *ex auditu* ea adhibenda fides, quae auctori, quem nominant, debetur (Inst. de obligat. et act. Tit. XVII. §. X. XI. XII. et XIII.).

Quando testis singularis delictum a reo commissum affirmat, ille autem negat, probatio dividitur; adeoque necesse est, quod alias advocetur, qui rem decidat, *Montesquieu Esprit des Loix* lib. II. cap. III.

§. VII.

*Injurati,
suspecti,
et extra-
judicia-
les.*

Non probant testes *injurati*, quacumque fulgent dignitate, vel de *credulitate*, ex *sensu* alterius, *generaliter*, et *vage*, et sine ulla ratione deponentes, ceteri, quibus recte opponitur exceptio *inimicitiae*, *falsitatis*, vel *infamiae juris*, aut *facti* (Inst. cit. §. II.). Neque testes *extra-judiciales* parte non citata producti. Quare testes in inquisitionibus generalibus, vel specialibus a judice interrogati, ad rei condemnationem quod attinet, parum probant, quamvis ab eo pro judicialibus habeantur. In omni enim negotio, et maxime in criminum probationibus veritas juris fictioni, et presumptioni semper anteponenda est.

Haec intelligenda in caassis capitalibus, vel quasi: in eis enim reus, quamvis testes pro judicialibus habeat, et defensionem nullam producat, non ideo poena ordinaria afficiendus est, probationibus alijs deficientibus, nisi testes ipsi

ipſi, eo praesente, vel faltem citato, iterum inquirantur;
et ita intelligenda videtur lex dicta *Da Reformação da Justiça* §. 18.

§. VIII.

Omnino autem testi permittendum est, ut possunt
possit jusjurandum suum non modo declarare, ^{jusjurandum re-}
et modificari; verum etiam in totum retractare. ^{dum re-tractare.}
sine perjurii poena. Injusta igitur lex est, quae ju-
risjurandi retractationem qualemcumque, utut bo-
na fide, et ex recta conscientia factam, pro per-
jurio habet. Ad religionem tamen judicis perti-
net ex circumstantiis judicare, primo, an secun-
do juramento, vel neutri adhibenda sit fides.

Inter alia, quae judicis officio continentur (Inst. de
obligat. et act. Tit. VII. §. XXI.), non minimum est,
quod testem prius de religione jurisjurandi admoneat. Il-
lud etiam monendum, illius jusjurandum et cum aliis tes-
tibus, et cum reo aliquando esse committendum. Haec
enim duo magis eum intentum faciunt, et ad veritatem
dicendam sollicitum.

§. IX.

Quod si testes quacumque ratione suspecti
fidem non faciunt, et ne admittuntur quidem in
levioribus delictis; multo minus admittendi, nec
plena profecto eiusdem adhibenda fides est in atro-
cioribus, vel difficilis probationis, in quibus non
de fuggrundiis, et stillicidiorum jure, sed de civis ca-
pite agitur. Vide, sis, *Briffot Theorie des Loix Cri-
minnelles* cap. III. Sect. V. *Pastoret des Loix pe-
nales* tom. I. cap. X. *d'Alembert Encyclop.* verbo
Certitude, *d'Aguesseau Discurs.*: *Sur la pre-
vention des Magistrats* tom. I. pag. 192. Peſſi-
mum enim est, et periculosum quemquam de fuf-
pacione damnare, uti legitur lib. VII. Capitular.
§.

§. 186. , et barbarum quod vulgo dicitur : *In atrocissimis licet judicii jura transgredi*, et *le- viores conjecturae sufficiunt*, quod a nobis iam non semel inculcatum est.

Illud tamen tamquam speciale in criminibus difficilis probationis videtur admittendum, quod duo testes oculati non suspecti, et omni exceptione maiores fidem faciant, quamvis non sint contiles loco, et tempore, modo in re, et delicto convenientia (Tit. IV. §. V. Not.).

§. X.

Confessio
legiti-
mus
proban-
di mod-
us.

Confessio, legitimus alter probandi modus (§. II.), plenam tunc fidem facit, si conjunctim haec concurrant; 1) ut de corpore delicti constet; 2) ut sit voluntaria; 3) et sponte oblatata; 4) clara, et specifica de delicto, non vaga, indefinita, et generalis: 5) probabilis, et verosimilis, et nec naturae, nec intellectui, et sensibus repugnans: 6) judicialis, et coram judice competente, et in loco, ubi jus reddi solet: 7) a sciente, et intelligente facta: 8) sine errore, metu carceris, odio, vel taedio vitae, sed sola tantum criminis scientia, et conscientia. Haec cum ita sint, inde consequitur, ut fidem plenam non faciat confessio a minoribus, tutoris licet auctoritate interveniente, facta, vel a surdo et muto, vel ab eo, qui linguam judicii ignorat; cum ex conjecturis, et signis eliciatur, quae plerumque fallunt; vel ad judicis ex officio inquisitionem, cum vere spontanea non sit, nec sponte objiciatur: probat autem si indiciis, et probationibus ex actis constantibus sit conformis. *Confessio tacita*, quae ex delicti cum laeso transactione, vel *ficta*, quae ex rei contumacia resultat non respondentis sub poena confessi, et convicti in caassis cri-

criminalibus parum, aut nihil probat (Inst. de obligat. et act. Tit. XX. §. II. III.).

Non auditur perire volens, cum nemo sit dominus membrorum suorum, quod et jure naturali, et civili Romano praeceptum est. Itaque confessio in capitalibus praefertim plenam probationem non facit, nisi ea omnia concurrant, de quibus supra; quae quidem a clarissimo Heinecio bene sapienterque, prout suus mos est, disposita, et collecta inveniuntur Exercit.: *De religione judicis circa reorum confessiones.* Bene ergo, et ad rem Ulpianus in l. I. §. 17. ff. De quaestione, ait: *Confessiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat, et §. 27.: Si quis ultro de maleficio fateatur, non semper ei fides habenda est: non numquam enim aut metu, aut qua alia de causa in se confitentur.* Paulus Risi Animadversion. ad Criminal. Jurisprud. apud Brissot Biblioth. Philosoph. tom. II.

§. XI.

A judice autem ex officio inquirendus est Quae in reorum inquisitione servanda. reus, vel ad laesi petitionem; et inquirendus vel statim post capturam, vel post utrumque suscep-
tum judicium, et formatos *articulos inquisito-
rios*, ut vocant; qui vel *generales* sunt, quando reus de nomine, parente, patria, vitae ge-
nere, et similibus interrogatur, a quibus scilicet incipiendum; vel *speciales*, qui de delicto, et illius circumstantiis in specie instituuntur, iisque deducendi ex testium dictis in inquisitione gene-
rali, speciali, aut ex probationibus aliunde ha-
bitis. Horum finis est, non ut reus hujusmodi in-
terrogationibus opprimatur, sed ut veritas appa-
reat, et magis illucescat. Omnis autem dolus, cal-
liditas, suggestiones, concussions, promissiones in reorum inquisitionibus prorsus fugienda sunt,
et gravissimis poenis punienda. Itaque officio suo quam maxime judices abutuntur, qui vel igno-
rantia (in quo vulgo peccatur), vel, quod peius
est,

est, animi malignitate reos interrogationibus diffi-
cillimis implicant, terroremve eisdem incutint,
carceres secretos, et verbera minitantur. Inquiren-
dus est reus in loco judicij solito, et ab ipso cri-
minali judice, Ord. lib. I. tit. 65. §. 33. et tit.
86. §. 3., coram duobus notariis, vel testibus,
qui rei gestae fidem faciant, Ord. lib. I. tit. 24.
§. 19. 20. et lib. 3. tit. 32. §. 1. Responsio ab
uno in scripturam redigenda eisdem conceptis ver-
bis, quibus reus usus fuit; cui, finito examine,
perlegenda, ut errorem quomodocumque commis-
sum possit corriger.

Examen rei per judicis inquisitionem ideo instituitur;
ut eo certius crimen ex circumstantiis, vel rei innocentia
probetur; adeoque continere etiam debet articulos, qui ad
illius defensionem faciunt. Qui ita comparari debent, ut
nullo modo fallaces sint, captiosi, difficiles; sed breves,
clari, perspicui, ad rem pertinentes, et ad reum tantum
respicientes; nam, secundum utriusque juris statuta, de se con-
fessi super aliorum conscientias interrogari non debent, uti be-
ne ait Pontifex in cap. I. De confess. Processus publicus
criminalis, quemadmodum secretus, qui a non nemine ini-
quitas publica vocatur, plura, fateor, incommoda habet,
quaes quomodo declinari possint, et in tuto res ponenda,
meum non est definire. Apud nos reus, et testes in secre-
to judicis, praesente Notario, qui eorum dicta excipiat,
examinantur, Ord. lib. I. tit. 86. deducta ex mala in-
telligentia legis 14. Cod. De testib. Ego vero auctor es-
sem, ut in delictis capitalibus duo saltem judices exami-
ni adessent, et totidem Notarii, et testes; nam cum fie-
ri possit, ut judex ordinarius occultus rei inimicus sit,
vel injustus, et nihil minus quam officium suum sciat,
illius ignorantia, vel dolus alterius praesentia corrigitur.
Illud etiam reo concedendum, quod possit libere, nulla
ratione data, judices saltem duos recusare, quod apud Ro-
manos lege publica in favorem vitae permisum erat, Sigan.
de judic. lib. II. cap. XXVII. quam hodie, et jam dudum
Angli religiose fervant, Blackstone tom. VI. cap. XXVII.
Reo autem super delicto suo inquisito praestandum non est
jusjurandum, quod magnis rationibus demonstravit Praeses
Lamoignon procès verbal de l'Ordonnance 1670., et haec est
praxis inter nos, de qua Cabed. P. I. Arest. 36., Men-
de.

desius lib. V. cap. I. §. II. n. 37 Quin etiam reus non tenetur interrogationibus criminalibus respondere, Ord. lib. 3. tit. 53. §. 11.: neque illius in non respondendo contumacia, et silentium pro vera confessione, ullave probatio-
tione habenda est.

§. XII.

Quia vero reus, et testes saepe de delicti circumstantiis discrepant; ad officium judicis pertinet eosdem componere, et inter se committere; quae commissio *confrontatio* dicitur, et defini-
niri solet: *Actus judicialis*, quo *judex testes inter se, vel reum contumacem cum testibus, vel etiam cum correo coram componit, ad indagandam veritatem compositus*, Boehmer. Elem. Jurisprud. Criminal. Sect. I. cap. XII. §. CCXXI.

Confrontatio, ad indagandam criminis veritatem pariter ac rei innocentiam introducta, triplex est: nam vel testes inter se, vel inquisiti inter se, vel testes cum inquisito committuntur. *Recognitio*, hoc est, *actus*, quo *judex reum subjicit oculis testimoniū, ut eum recognoscant, differt a confrontatione, quamvis utiliter cum ea conjungatur*. Committuntur igitur socii criminum, vel testes inter se, vel cum reo, quotiescumque crimen contumaciter negantes, vel confitentes in illius circumstantiis discrepant, nec con-
veniunt inter se loco, tempore, habitu, armis, occasione, ceteris, quae delicta augere solent, vel minuere. In hac confrontatione instituenda ea omnia fervanda sunt diligenter, quae superius de officio judicis diximus circa reorum, et testimoniū inquisitiones.

§. XIII.

Alter probandi modus per *instrumenta*, et tabulas a reo conscriptas (§. II.), vim confessionis extrajudicialis habet; adeoque plenam fidem non facit, quod intelligendum tam de privata, quam de publica scriptura. Similiter testes instrumentales, utpote extrajudiciales, plene non probant.

Notarius quoque personam dumtaxat publicam induit in negotiis civilibus ad legis praescriptum ordinatis; ast in criminalibus pro privato habendus est, Boehmer. cit. Sect. I. cap. XI. §. CCXIV., ubi constitutionem criminalem Austriacam art. 17. allegat.

Scripturis, nisi fuerint in judicio recognitae, vel a reo, vel per testes, vel ex comparatione litterarum caute suscipienda, nulla vis probandi inest: itaque hoc probationis genus eamdem vim ac potestatem in criminalibus habet, quae confessioni judiciali, vel extrajudiciali, vel testibus debetur, Benjamin Carrard Jurisprudence Criminelle tom. II. cap. IV. (Inst. de obligat. et act. Tit. XVIII. §. XII. Not.).

§. XIV.

*De semi-plena in
criminalibus
probatione.*

Haec cum ita sint, illud plane conficitur, probationes, quas vocant *semiplenas*, ut in civilibus, invita veluti jurisprudentia, admittantur (Inst. de obligat. et act. Tit. XVI. §. III.), in criminalibus fidem plenam non facere, nec umquam, veris probationibus cessantibus, satis esse ad rei condemnationem, Ord. lib. 3. tit. 52. in princ. ibi: *E isto ha lugar assim nos feitos civéis como nos crimes civilmente intentados.*

Bene, et ad rem sumimus Cujacius ad tit. Cod. Ad leg. Jul. majest. ait: *Errant, qui unum testem affirmant esse probationem semiplenam, ut loquantur, quod hoc argumento probant. Duo, inquit, testes faciunt plenam probationem: ergo unus semiplenam. Sed haec collectio est vicia, et eadem atque se dices, duo perficiunt numerum: ergo unus, aut unum est numerus imperfectus, aut semiplenus, quod est falsum. Nam unum non potest dici numerus. Et praeterea ut veritas, ita probatio scindi non potest: quae non est plena veritas, est plane falsitas, non semiveritas. Sic quae non est plena probatio, plane nulla probatio est. Denique Icti non noverrunt ullam probationem semiplenam (Inst. de obligat. et act. Tit. XVI. §. III. Not.). Videndum omnino M.r de Bielfeld Erud. Compl. Lib. I. cap. XXIII. §. XIV.*

§. XV.

§. XV.

De tortura, hoc est, interrogationibus judicialibus, quibus graviorum criminum rei, vel testes per varios corporis cruciatus ad dicendam veritatem adiguntur, nihil est, quod dicamus; cum nulla inde legitima probatio elici possit, quinimmo illius usus tamquam barbarus, et injustus omnino e foris christianorum proscribendus est, ut speciali Dissertatione demonstravit Christianus Thomasius. Idem de territione tam reali, quam verbali dicimus (Tit. I. h. Lib. §. XXIX.).

Et haec hodie omnium Philosophorum vox est, quos vel solum reserfe longum foret. Satis sit magni Augustini testimoniū, qui lib. XIX. De civit. Dei cap. VI. ait: *Cum quaeritur utrum sit nocens, cruciatur: et innocens luit pro incerto scelere certissimas poenas: non quia illud commisſe detegitur, sed quia non commisſe nescitur?* Ac per hoc ignorantia judicis plerumque est calamitas innocentis. Et, quod est intolerabilius, magisque plangendum, rigandumque, si fieri posset, foniibus lacrimorum: cuius propterea judec torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, sit per ignorantiae misericordiam, ut et tortum, et innocentem occidat, quem, ne innocentem occideret, torserat. Si enim secundum istorum sapientiam delegerit ex hac vita fugere, quam diutius illa sustinere tormenta: quod non commisit, commisſe se dicit. Quo damnato, et occiso, utrum innocentem an innocentem judec occiderit, adhuc nescit: quem ne innocentem nesciens occideret, torst: ac per hoc innocentem, et ut sciret torst, et dum nesciret, occidit.

T I T U L U S XVIII.

De fallacibus criminum indicis.

§. I.

Indiciorum nomine intelligimus argumenta, Quid intuspiciones, praesumptiones, conjecturas, et dicia. si qua alia, quibus reus vel convinci, vel absolviri quomodocumque videtur.

Cc ii

§. II.

§. II.

*Forum
divisio.*

Dividi solent in *prae*sumptiones**, seu *indicia hominis*, *juris*, et *juris et de jure*; in *remota*, et *proxima*, seu *levia*, et *vehementia*; et in *communia* omnibus delictis, vel certorum delictorum *propria*. *Juris prae*sumptiones** dicuntur, quae a lege; *hominis*, quae ab homine ex facti circumstantiis eliciuntur; *juris et de jure*, quae a lege ita sunt adinventae, ut probationem in contrarium haud admittant (Inst. de obligat. et act. Tit. XVI. §. VII.): *remota*, et *proxima* indicia, prout major, fortiorve, vel minor inter ea et delictum commissum, et illius auctorem nexus intercedit: *propria*, et *communia*, prout omnibus, vel specialibus tantum delictis convenientiunt.

Inter *communia* indicia, *remota*, vel *proxima* (hac enim in re Scriptores dissentunt) numerantur *fama*, *fuga*, *carceris effractio*, *mores accusati*, *mina*es* simplices*, vel *qualificato*res**, *socii criminis nominatio*, Ord. lib. 5. tit. 134. cet. In furto proprium indicium est inventio rei alicui subrepatae penes accusatum. In homicidio deprehensio rei in loco delicti cum armis, et vestibus cruentatis. Omitto alia exempla.

§. III.

*Qua nota
a proba-
tione
distin-
guenda.*

Indiciis delictum non probatur. Itaque argumentum, quod ex circumstantiis, et suspicionibus elicetur, tamdiu indicii nomen sortitur, quamdiu factum illicitum per illud nondum plene probatum est; crimine enim probato, non jam indicium, sed veritatem, et certitudinem habemus. Et hac quidem speciali nota indicia a certitudine, veritate, id est, a probatione distinguuntur. Vera igitur, et plena probatio judicem de delicto, et delinquente certum reddit: indicia, et *prae-*

praesumptiones dubium, et incertum. Quod de 1820⁵
ipsis etiam indicis proximis, et violentis intelligendum; quippe quia rem plene non conficiunt;
cum reum certe non convincant, nec judicent;
sed dumtaxat magis, vel minus suspectum reddant.

§. IV.

Praesumptio similiter, quae dicitur *juris et de Prae-*
jure, cum intra terminos praesumptionis consistat, ^{sumptio-}
pro plena probatione, quae ex certitudine *physica*, ^{nis juris}
et de jure, vel *moralis* resultat, habenda non est. Neque ^{in crimi-}
praesumptio haec excludit probationem in *contra-*
rium, quam ne vera quidem probatio excludit;
eaque praesumptionis utique nomen amitteret, et
in veritatem degeneraret, si plenam fidem face-
ret, Boehmer. Exercit. *De collisione praesumptio-*
num cap. I. §. V. VIII.

Praesumptiones tamen *juris et de jure* in criminalibus
admittunt Ordinationes lib. 5. tit. 25. §. ult. tit. 48. §. 2.
et similes (§. VI. h. Tit. et §. VIII. Tit. IV. h. Lib.).

§. V.

Quum vero ex indicis nemo plene et per- Nemo
fecte convinci possit, et in criminalibus requira- ^{ex indi-}
tur probatio luce meridiana clarior, quae scilicet ^{ciis con-}
judicem de delicto, et delinquente certum reddat, ^{demandan-}
(Tit. XVII. §. IV.); inde consequitur, 1) ut, ^{dus.}
vera probatione cessante, nemo ex indicis con-
demnari debeat: 2) nec excipienda indicia *ve-
hementia*, et praesumptiones *juris et de jure*;
cum ex eis quoque non certitudo delicti, sed pro-
babilitas tantum eliciatur, quae omnium praefum-
ptionum natura est; nec 3) crima atrociora;
in eis enim plenior, et clarior probatio requiri-
tur: nam quemadmodum interest Reipublicae, ne
de-

delicta impune admittantur; ita ejusmodi multo magis refert, ne innocentes suppicio afficiantur.

4) Ad rei condemnationem satis non est, quod accusator sive publicus, sive privatus indicia quae-
cuunque contra eum alleget, nisi delictum aliunde legitime probaverit.

5) Quae vulgo traditur regula, quod praesumptio intentionem actoris probet, et pro vera probatione habeatur, quamdiu contrarium probatum non fuerit, et quod probandi onus in adversarium transferat, in criminalibus locum habere non potest.

6) Plura indicia, *violenta* licet, et *vehementia*, quamvis probabilitatem augeant, certitudinem tamen non faciunt, sine qua reus condemnandus non est, Boehmer. Elem. Jurisprud. Criminal. Sect. I. cap. XI. §. CCXVI. et CCXVII. Coccej. Jur. Controv. ad tit. De probat. Quaest. X. Cujac. ad tit. 8. Cod. lib. IX. Pittmannus Elem. Jur. Criminal. lib. II. cap. IX. et XVII. Mr. de Pastoret tom. I. cap. X. Benjamin Carrard tom. II. cap. I. Bernardi *Discours Couronnées* pag. 106. Servant *Legislation Criminelle* Dissert. *De la nature, et force des preuves, et presumpions*, Briffot tom. IV. Bibliothèque Philosophique pag. 245. tom. VI. pag. 155. cum seq. et tom. VII. pag. 223. et 345.

Aestimantur indicia ex regulis probabilitatis, quas dare solent Dialetici; ex quibus *probabilitas* tantum, non veritas eruitur: quae tamen eo gravior est, quo arctius indica cum delicto inter se conjunguntur. Juris Romani regula, quod, actore non probante, reus absolvitur, l. 4. Cod. De edend., naturali, et civili ratione nititur. Ab omni autem ratione abhorret Interpretum sententia, qui promiscue praesumptiones transferre in alterum onus probationis existimat: ea enim praevertitur jus naturale, quod actori onus probandi injungit, Coccej. cit.: *Sed nec de suspicionibus debere aliquem damnari divus Trajanus Affiduo Severo rescripsit l. 4. De poen.: nam, ut ibidem Ulpianus ait: Satis est impunitum relinqu facinus nocentis, quam innocentem damnare.* Quod enim non nulli (quos pu-
det

det referre) satis inhumaniter affirmant: *Melius est aliquot innocentem paniri, quam nocentem unum poenam effugere*: barbarum proflus est, et nec lanae rationi, nec legibus convenit, quae in rebus dubiis atque ambiguis humaniorem sequi sententiam jubent, l. 10. §. 1. De reb. dub. l. 192. §. 1. De reg. jur. Itaque quoties de auctore delicti non satis constat, aut reus absolvendus est, aut saltem, si aequalia, vel majora adversus eum indicia dentur, vetus illud: *Non liquet: usurpandum*. De Areopagitis memoriae proditum est eos in causa adhuc dubia atque ambigua et accusatorem, et reum, qui accusabatur, centesimo anno rursus in iudicio adesse justissime, Gellius XII. 17.: quod idem est atque abstinere a sententia ea de re ferenda, quae sibi non liquebat. Haec de capitalibus delictis dicta volumus; nam in levioribus, et parvi momenti facilius in criminosos animadvertisendum, Püttmannus Elem. Jur. Criminal. §. 879. In atrocissimis autem, quae in societatem, vel illius Rectorem committuntur, reum gravissimis indiciis suspectum poena extraordinaria, quae periculo dumtaxat avertendo satis sit, puniri debere, ipsi quoque humiores Philosophi, et JCTi ultro citroque convenient.

§. VI.

Et quae demum fides adhibenda est indiciis ^{Fallacia} _{indicia}? Nam, ut de iis tantum, quae superius memoravimus (§. II. Not.), non nulla dicamus, *fama*, seu rumor publicus de delinquenti maxime fallit; potest enim a malevolis ortum habere, garrulis, et inimicis, *nec vanae populi voces audiendae sunt*, uti bene aiunt Imperatores in l. 12. §. 1. Cod. De poen. (Inst. de obligat. et act. Tit. XVII. §. XIII.). Indicium, quod *ex fuga* illius, qui suspicione premitur, deducitur, omnium maxime fallax est; nam quis ignorat fugere etiam innocentes, et quam præterea, prout vere Plautus ait, *meticulosa res sit ire ad judicem. Effractio carceris* cur potius illius squalori, quam criminis conscientiae tribuenda non est (Tit. IV. §. VIII.)? *Mores*, et *vita* accusati, quamvis in criminibus investigandis

negligendi haud sint, saepissime fallunt, et non nisi in ejusdem generis delictis locum sibi aliquando possunt invenire: sunt enim, ut hoc exemplo utar, non nulli, quibus scortari, et adulterare ludus veluti, jocusque sit, qui tamen furari, aut rapere summum nefas ducunt, priusque decem adulteria, quam unum admitterent furtum. Fallaces sunt *minaे* cuiusvis generis; multi enim periuntur homines, quibus in usu est impotenter evomere multa minarum fulmina, quasi solius linguae suae armis omnem injuriam evertre videantur, cum is, qui in alium acrem meditatur injuriam, eam tegat, callideque dissimulet. Nec minus fallax est *nominatio socii criminis* a reo facta, qui semper suspectus est; eaque ab illius protervia, vel suggestione, aliave sinistra causa facile potest proficiisci. *Proximum*, et *proprium* in furto est indicium deductum ex rei furtivae apud aliquem *inventione*: sed inde sane nondum sequitur, ut ipse furto sit contaminatus; propterea quod fieri potest, ut ille rem aut in via inveniret, aut ab alio emeret, aut donatam haberet. In homicidio *violentum* est indicium, quod ex rei *deprenсiōne* in loco delicti vestibus, et armis cruentatis desumunt: judicem tamen non convincit; cum aliter res se habere possit, quod multis exemplis confirmant *Celebrium Caſſarum Scriptores*. Quid enim si sanguis e naribus in vestes accusati profluxerit, aut ipse eo se contaminaverit, et gladium nudaverit, cum conaretur auxilium vulnerato ferre? Maritum, qui per decennium abfuit, et reversus anniculum domi suae invenit, quis reprehenderet, si uxorem adulterii accusaret? Sed ne hoc quidem indicium, utut *violentum*, omni exceptione maius est; cum mulier *violenter*, vel *dormiens*, vel *facto tertii inebriata comprimi*, et *ex hoc congressu concipere* potuerit, Püttmann.

Elem,

Elem. Jur. Criminal. lib. II. cap. XVII. §. 877.
 Anniculum mariti, qui tamdiu absfuit, ftiūm es-
 se nemo dixerit, l. 6. De his, qui sui, vel
 alien. jur. Alia autem quaestio est, an mater sit
 adultera; ad quam probandam filius, marito ab-
 sente, natus haud quaquam sufficit, idem Püt-
 tmann. Qui plura desiderat, adeat Coccej. Dis-
 put. LXXV. tom. I. pag. 1037. Püttmann. cit.
 Dissert. *De lubrico judiciorum*, Robert. Rer. Ju-
 dicatar. lib. I. cap. IV. *Paul. Risi Animadverſi-*
ad Jurisprud. Criminal. cap. I., cet.

TITULUS XIX.

De defensione reorum.

§. I.

Defensio contra omnia crimina etiam notoria admittenda, nec a reo potest renuntiari; quippe quia juris naturalis est, et ad jus publicum pertinet, quod pactis privatorum mutari nequit, l. 38. De pact. Ea vero reo in primis concedenda; proxime autem consanguineis, et tandem extraneis, l. 33. §. 2. De procuratorib. l. 6. De appellat. Admittitur in quacumque parte judicii etiam post publicatas attestations, et sententiam latam; et ita intelligenda Ordinatio lib. 5. tit. 124. §. 5. 7. et 8. (Tit. XIII. §. IX. Not.).

Defensor semper reo ex officio a judge nominandus, utut Advocatum ille non constitutus, defensionive renuntiet, vel eam ipse solus fuscipere velit. Et ita postulat defensionis favor: cum plerumque perturbatio animi, et periculi magnitudo homines reddere soleat consilii inopes.

§. II.

Quae reo
commu-
nicanda. Reo autem, et illius Defensori media omnia ad finem necessaria sunt omnino a judice conces-
denda. Quare non solum moram, et justas dilata-
tiones reo indulgere debet; verum etiam proba-
tiones, inquisitiones five generales, five speciales,
et, ut verbo dicam, acta omnia judicialia, vel
extrajudicialia eidem communicare, et ab eo, vel
ab illius Defensore inspicienda dare; quibus ea
quoque, quae ad eum excusandum faciunt, infe-
renda sunt.

Quod acta reo exhibenda sint, clausa accusatoris inqui-
sitione, eaque sygillo munita, locum habere non debet in
criminibus capitalibus, neque in reo jam carcere mancipa-
to, vel qui sub fidejussoribus se defendit; et ita intelli-
genda Ordinatio lib. 5. tit. 124. §. 5. vers. ult., Cabed. I.
P. Arest. 84. Vallasc. Allegat. 67. n. 55. Phaeb. II. P.
Arest. 134.

§. III.

**Praecl-
pua de-
fensionis
momen-
ta.** Et quemadmodum, prout Rhetores obser-
vant, varia sunt reorum genera: nam aut negant
id a se factum, de quo accusantur: aut illud fa-
tentur; sed jure id fecisse affirmant: aut non tan-
tam poenam meruisse contendunt: ita defensionis
non unum genus est; eaque vel ex facto illicito,
et illius circumstantiis, vel ex persona judicis,
accusatoris, testium, vel ex defectu demum sol-
lemnitatum desumenda. Reo igitur competit ex-
ceptiones tam *dilatoriae*, quam *peremptoriae*. Nam
excipere potest de *corpore delicti* deficiente, du-
bio, vel incerto; dicta testium, et indicia alii
testibus, et indiciis illidere; eosdem veluti suspe-
ctos, et inhabiles rejicere; instrumenta tamquam
falsa, vel sibi contraria confutare; confessionem
ex errore, vel alia justa de causa impugnare; ac-

cusatorem, accusationem, et judicem exceptione *inabilitatis*, non competentis *judicis*, vel *actionis*, repellere; vel eam differre *litis pendentis* exceptione opposita, veluti si a pluribus ejusdem criminis accusaretur. Quod si factum, de quo accusatur, fatetur, potest objicere illud, ut ut natura sua illicitum, criminosum non esse, vel quia illud vi majore coactus commisit, vel in sui defensionem; vel denique excipere de poena a judge definita minuenda, propterea quod vel in dolo non fuerit, vel data occasione deliquerit, vel ob egregia illius in Rempublicam merita. Quintil. Inst. Orat. lib. V. cap. XIII.

In his momenta sunt maxime ad reos defendendos. Ad eos autem excusandos quod attinet, ut non nulla more nostro dicamus, dubitari illud in primis solet: an in coercendis delictis occasionis ratio aliqua haberi debeat? Negat Heineccius Elem. Jur. Natur. et Gent. lib. I. cap. IV. §. CXIV. his verbis: *Non excusatur quidem, quem ad peccandum invitat occasio. Nam et evitanda peccandi occasio, et pugnandum colluctandumque erat cum vitorum blandimentis.* Id qui non facit, in culpa est, si cupiditatibus succubuerit. Indulgendum tamen aliquid est humani generis imbecillitati: et cum gravius punienda sint delicta, quae consulto, et de industria, quam quae praeter opinionem, et impetu quodam admittuntur; illorum utique poenae ob delinquendi occasionem molliendae esse videntur, modo occasio non sit quaesita, sed aliunde ex causa externa proveniat a reo non provisa, et praeter ejus expectationem subito exorta, Püttmann. Prolus: *An, et quatenus delinquendi occasio delictum, ejusque poenam minuat.* Videnda nostri Aloysii Camonii ad Supplicationis Domus Rectorem supplex petitio pro uxore excusanda, quae de adulterio, viro apud Indos absente, ex occasione commisso fuit damnata, tom. II. edit. Parisiens. ann. 1759. pag. 378. (Tit. VI. §. XV. Not.). Reorum similiter in Rempublicam merita tunc demum ad poenam levandam, vel minuendam valere existimo, cum 1) magna sint atque eximia: 2) scelus non meditatum et cogitatum, sed motu repentino, et animi perturbatione commissum: 3) reus ipse de delicto poenitent: 4) spes sit, ut in posterum homo frugi sit, et Respublica ab eo augeatur, aut certe juvetur: 5) populus

levationem postuleat, aut saltem expedit: 6) metuendum haud sit, ne gratia reo facta alii ad delinquendum existentur, idem Pittmann. Proluf. XI. pag. 293. Alii alter; quod fieri solet, cum jure res definita non est. Nequaque hic trahenda lex 31. De poen. Brunquell. in Opuscul. tom. I. §. 313. (Tit. I. §. XXV. Not.).

TITULUS XX.

De sententia criminali, et illius execuzione.

§. I.

Huc trahenda,
quaes de
fenten-
tia, et
re judi-
cata in
civilibus
diximus.

Sententia criminalis, quemadmodum civilis, vel definitiva est, vel interlocutoria; et haec vel mera, vel mixta. In ea ferenda, et actis examinandis judex ea omnia servare debet, quae de civili diximus Inst. de obligat. et act. Tit. XXI., quae hic repetere supervacaneum esset.

§. II.

Qui, et
quot ju-
dices in
capitali-
bus re-
quiran-
tur.

Judicia *capitalia* in Conventibus tantum iuridicis, quos *Relações* vocamus, exercentur; eaque non nisi per quinque judices praeter eum, qui causam exponit (*Relator*), expediri possunt, Ord. lib. 1. tit. 1. §. 6. Non *capitalia* ad judices *ordinarios* spectant, a quibus appellatio ad criminales in Senatu Auditores interponitur.

Causae civiles, praesentibus litigatoribus, vel illorum Procuratoribus, in Senatu exponi jubentur Emmanuelis Ordinatione lib. 1. tit. 1. §. 23.; quod majori cum ratione ad criminales trahendum videbatur. Capitales quam celeriter expediri debent, et intra sex menses finienda, Decret. 13. Sept. 1691. Coll. II. n. 5. ad Ord. lib. 5. tit. 129. Dipl. 31. Mart. 1742. Collect. I. ad Ord. lib. 1. tit. 1. n. 1. §. 2., (Tit. I. §. XIX. Not.). Theodosius ad criminales causas terminandas annum definitivum suo Codice tit. 2. Ut intra annum criminalis quaesio terminetur. Jus-

tinianus biennium l. 3. Cod.: *Ut intra certum tempus criminalis quaestio terminetur.*

§. III.

Reo autem denuntianda sententia est, et publicanda, ut de suppicio praemonitus in tempore possit se ad mortem oppetendam praeparare, Ord. lib. 5. tit. 137. §. 2., et de bonis suis disponere, Ord. lib. 4. tit. 81. §. 6.

Sententia reo denuntianda, et publicanda.

§. IV.

Publicata sententia, et impedimentis, eidem triduo offerendis, et decidendis, rejectis, execu-
tioni mandatur, Ord. lib. 5. tit. 137. §. 1. Ex-
secutio, ut alius exemplo sit, in loco publico fie-
ri debet, ubi plurimi intueri, plurimi commo-
veri hoc motu possint, ut ait Quintilianus De-
clamat. CCLXXV., Petrus Faber lib. I. Semeltr.
cap. VIII. Dicitur autem reus ad locum supplicii
a judicibus criminalibus, Misericordiae Confrater-
nitate, et Ministris Ecclesiae comitatus, qui in-
terim eum ad mortem fortiter et patienter, prout
christianum hominem decet, obeundam adhortari
non desinant, Ord. cit. Alia exsecutionis sollem-
nia a majoribus adinventa, et excogitata, ut po-
pulo terrori essent, hodie ferme negliguntur.

Damnatus ad mortem non statim rapiendus ad patibulum; sed tantum temporis spatium, id est, triduum ei concedendum, quantum fatis fuerit molliendo mortis horrorem, abluendisque per confessionem sacramentalem peccatis necessarium; eidemque postea Sanctissima Eucharistia praeflenda, Ord. cit. §. 2., Gama speciali tractatu: *De sacramentis praeflandis ultimo suppicio damnatis.* A Rege extra ordinem damnati non nisi post viginti dies supplicio afficiuntur, Ord. lib. 5. tit. 137. in princ. Emm. 60. Alph. 70. (Inst. Jur. Publ. Tit. III. §. III.).

§. V.

§. V.

Quando differenda.
 Differtur exsecutio, 1) si Rege inconsulto
 fieri prohibeatur; 2) si justa sit caussa, quae il-
 lius interim dilationem efflagitet. Ea autem vel
 delinquentis, vel alterius, vel Reipublicae favo-
 rem concernit. In loco, ubi Rex est, eo inscio,
 ultimo suppicio nemo afficiendus, Ord. lib. 5.
 tit. 137. §. 1. vers. Parem. Et hinc est, quod
 eodem sententiae publicationis die Curia Palatii,
 visa Senatus sententia, consultationem ad Regem
 defert de eadem confirmanda, vel de mitiori poe-
 na loco ordinariae ex circumstantiis substituenda:
 quo jure utitur et fruitur, non quod Senatui, qui
Supremum Justitiae Tribunal dicitur Ord. lib. 1.
 tit. 1. in princ., quique jam suo munere functus
 est, superior dignoscatur; sed quod *gratiae* per
 eamdem Curiam, quae propterea *Tribunal Gratiosum*
 appellatur, consulendae sint. Nobilis ad
 mortem damnatus, Rege inscio, suppicio non
 afficitur, Ord. cit. vers. ult. Quaedam etiam sunt
 crimina capitalia, quorum rei, de eisdem licet ple-
 ne convicti et confessi, suppicio, Rege inconsulta,
 non afficiuntur, veluti *bigamia* in casu, quem
 habet Ordinatio lib. 5. tit. 19. §. 1., *adulterium*
 nobilis cum plebeia, Ord. eod. lib. tit. 25. in
 princ., *homicidium* a Nobilissimis admissum, Ord.
 lib. 5. tit. 35. §. 1., cert. Justam differendae exse-
 cutionis caussam, uti diximus, praebet favor *delin-
 quentis*, veluti si gravi morbo laboret, vel post
 sententiam latam, et publicatam crimen *falsi* tes-
 tium emergat, quorum fide reus fuit condemnatus;
 vel *Reipublicae*, quo pertinet reorum *poten-
 tia*, et periculum imminens; itemque necessitas
 socios criminis indagandi, quos captum iri opus
 est. Dilationem autem in primis postulat favor *par-
 tus*,

tus, quoad condemnata pariat; qui adeo amplificandus est, ut ne quaestio quidem de ea habeatur, nec sententia eidem denuncietur, quamdiu praegnans est, et intra triginta dies post partum,
 I. 3. De poen. Ab omni itaque humanitate alienus est Zachias Quaest. Medico-legal. lib. IX. tit.
 II. Quaest. un. XX., ubi scribit: *Matrem ad mortem damnatam vivam secundam esse, ut partus ei extrahatur.*

§. VI.

Relegati ad exsilii loci judices una cum lit-
 teris, quibus illorum delictum, et poena summa-
 tione
 teris, quibus illorum delictum, et poena summa-
 tione
 continetur, vindicti mittuntur, Ord. lib. 5.
 fenten-
 tit. 140. et tit. 142. §. 1. Qui a loco, ubi vi-
 tiae in
 vunt, et domicilium habent, relegantur, non pos-
 relega-
 sunt ad pristinam habitationem redire, neque ad
 tos.
 Curiam venire, quamdiu exsilium finitum non
 fuerit, Ord. lib. 5. tit. 140. Quamvis Curiae no-
 mine et locus, ubi Rex est, et Regia Urbs, et
 Domus Supplicationis aliquando intelligatur; ta-
 men a Curia simpliciter relegatus ad illum dumta-
 xat locum, et illius suburbium, ubi Rex est, ac-
 cedere prohibetur, Ord. lib. 5. tit. 141. Qui ex-
 tra exsilii limites inveniuntur, graviori exilio per
 idem tempus plectuntur, Ord. lib. 5. tit. 143. in
 princ. In Brasiliam autem ad tempus relegati, tem-
 pus duplicatur; in perpetuum vero, si a loco des-
 tinato discesserint, vel a navigio aufugerint, ca-
 pitis damnantur, Ord. cit. deducta ex Alphonsi
 V. speciali lege suo Codice relata lib. 5. tit. 67.
 Eamdem poenam incurront ad triremes perpetuo
 damnati fugientes, Dipl. 26. Septembr. 1603.
 apud Ordinationem lib. 5. tit. 140. Collect. I.
 N. III.

In Brasiliam exsilium gravius, quam in Africam, vel
 quaeasias alias dominationes habetur in dicta Ordinatione
 lib.

lib. 5. tit. 142. in princ. : itaque eo in perpetuum multatus a loco recedens capite plectitur: qua poena non afficiuntur, qui in Africam, Asiamve perpetuo licet exsulati abierunt: mitius enim exsilium est, et non aequa grave delictum supponit. In eo etiam differunt, quod in Brasiliam exsilium non minus quam in quinquennium decerni potest, Ord. lib. 5. tit. 140. §. 1., cum destinatione certi loci, Decret. 18. Januar. 1677. ad eam. Ord. Collect. II. N. IV. : in Africam vero sine destinatione, et indefinite decernitur ead. Ord. §. 2. Mulieres in Africam relegari prohibentur Ord. cit.: et ad tiriemes Nobiles, minores sexdecim annorum, et maiores quinquaginta quinque, et infirmi, ead. Ord. §. 4.

§. VII.

Et mul- Executio sententiae, qua quis multa pecunia fuit condemnatus, modo ordinario fit; pignoribus captis et distractis. Reus, qui nihil in aere habet, in carcere retinendus non est, nec propterea in eum conjiciendus, Deliberat. Senat. Olisiponens. 18. Aug. 1774. apud novam Collect. Num. CCLXX. (Inst. de obligat. et act. Tit. XXII. §. XVIII.) .

Multa pecunia quoddam veluti negotiationis genus erat, quo leges ipsae, Principes, et Barones publici, vel patrimonialis aerarii locupletandi caussa promiscue utebantur. Exempla passim invenire licet in legibus Feudalibus, Visigothicis, Ripuaris, Saxonis, Longobardicis, cet.: quas leges nostrae Forales in primis sequutae fuerunt. Et hinc mirum non est, quod poenas pecuniarias non jam laeso, sed fisco applicandas probent non modo antiquae Ordinationes, sed ipsa Philippina lib. 5. tit. 36. Easdem etiam probat tabella Camarae Apostolicae apud Antonium Genuesem *Lexioni d'Economia Civilis* P. I. cap. XXI. pag. 446., ubi inter alia legitur: *Pro absolutione Presbyteri, qui coniugatos in gradu prohibito matrimonialiter copulavit, et coram eis celebravit, (solvendi) grossi 7. : Pro eo, qui in Ecclesia cognovit mulierem, grossi 6. : Pro laico, qui res sacras de loco suero cepit, grossi 7. : Pro perjurio, grossi 6. : Pro laico, qui Abbatem, aut alium Presbyterum minorem Episcopo, Monachum, vel Clericum, interfecit, grossi 7. 8. vel 9.* Jam

ver.

vero quam turpe sit adulterium , furtum , rapinam , homicidium pecunia redimere omnes vident , Genuens. cit. (Tit. I. §. XVII. h. Lib. et Inst. de Jur. Rer. Tit. X. §. II. Not. et de oblig. et act. Tit. II. §. XIII. Not. et §. XIV.).

§. VIII.

Ad exsecutionem sententiae vel maxime pertinent *expensae criminales* , id est , sumptus in criminalis causae cognitione , vel illius occasione facti : qui , si litem respiciant , *processus* , seu *judiciales* ; sin rei ipsius personam , et damnum ab eo passum , *personales* , vel *extrajudiciales* dicuntur . Quae sunt expensae criminales , illarum di- viho , et quis eas solvat .
Expenses processus victus solvit in omni causa tam civili , quam criminali , etiamsi justam litigandi causam habeat ; *personales* non nisi eadem destitutus , Ord. lib. 3. tit. 67. in princ. , cap. 4. De poen. Computandae autem sunt expensae ad eum modum , quem declarat Ordinatio lib. 1. tit. 90. et 91.

Regula , quod *victus* *victori* in expensas sit condamnatus cap. 4. De poen. , in civilibus aequa ac criminalibus locum habet , et tam ex parte actoris , et rei , quam judicis , qui in causa fuit , ut sumptus fierent , §. 1. Inst. De poen. temer. litigant. in fin.

§. IX.

Itaque , reo absoluto , accusator expensas omnes , et damnum accusationis causa datum in *simpulum* solvit , *duplum* , vel *triplum* pro doli magnitudine , et qualitate , Ord. lib. 5. tit. 118. in princ. et §. 1. Eam. 43. deducta ex Dionysii , et Alphonsi IV. legibus Ordinatione Alphon-sina relatis lib. 5. tit. 29. (Tit. XIII. §. VIII.). Expen-sas solvit accusa-tor reo absolu-to.

Actor expensas cuiusvis generis , et damna reo absoluto solvit , quas petere is potest in judicio ipso criminali ; ad officium enim judicis spectant ; vel separatim eo nomine
Tom. V. Ee mine

mine civiliter agere coram judice competente accusatoris. *Simplices* expensas solvit, si probabilem, et justam accusandi caussam habeat; nam si in dolo fuerit, vel temere accusationem moverit, in *duplum*, vel *triplum* condemnandus, et ita intelligenda Ordinatio lib. 5. tit. 118. *Simplex*, cum ad reparationem danni pertineat, ab heredibus quoque praestandum: *duplum*, vel *triplum* non item; poena enim est, quae ad heredes non transit. Judex autem victum semper vitori in expensas debet condemnare, Ord. lib. 5. tit. 118. in princ. ibi: *Se alguem querelar d'outro, e o reo accusado for livre por sentença do malicio, e querela, por se não provar o conteúdo nella, mandamos que o tal quereloso seja nessa mesma sentença condennado nas custas, e em todo o damno, e perda, que o reo por razão dessa querela, e accusação receber, o que todo pagará da cadea. Porem, sendo o quereloso achado em malicia, será condennado nas custas em dobro, ou em tresdobro, segundo a malicia, em que for achado.* Nulla igitur ex hac Ordinatione est sententia judicis sine expensarum condemnatione: itaque frusta queritur, an reus *simpliciter* absolutus possit pro litis expensis, et daninis in accusatorem agere, qui in expensas condemnatus non fuit; vel easdem petere, si jus salvum ei non fuerit sententia absolutoria reliquum. Nam, cum judex teneatur accusatorem, vel querelantem injustum in expensas condemnare ex dicta Ordinatione, sententia contra legem lata reo vitori impedimento esse non potest, quominus possit jus suum in judicio prosequi, et danni reparationem petere, quod injustae accusationis causa ferre coactus fuit, Vallasc. Allegat. 95. n. 3. Neque contrarium deducitur ex Ordinatione lib. 5. tit. 117. §. 15. Namque ibi sermo est de *subornationis*, et *falsi* criminiibus in judicio civili incidenter objectis: quorum querelae, cum calumniosae videantur, non nisi jure salvo ad easdem proponendas in criminali admittuntur ex eadem Ordinatione: quae de casu duumtaxat speciali, de quo loquitur, intelligenda est.

§. X.

*Secus
justi-
tiae, et
fisci Pro-
curator.*

Justitiae Promotor, vel *fisci Advocatus*, qui ratione officii quemquam accusavit, licet innocens postea reperiatur accusatus, in expensas condemnandus non est, nisi manifesta ejus calumnia sit, Ord. lib. 3. tit. 67. §. 3. et 6., Cabed.

II. P. Decis. 119. a n. 25. Matth. de criminib. ad lib. XLVIII. tit. XVII. cap. IV.

Quod reus absolutus, qui maxima certe incommoda ob
fibi objectam accusationem pati coactus fuit, innocens tan-
dem deprehensus, litis praeterea expensas solvere teneatur,
ab omni proflus humanitate alienum videtur. Eas igitur quo-
dammodo societas ferre debet, et damnum reo sarcire vel
ex aerario judiciali, vel ex multis pecuniariis, quibus
veri delinquentes condemnantur. Quemadmodum fama, ho-
nor, et dama quaecumque sarcienda sunt reo, vel ejus
hereditibus, qui post sententiam latam, et executioni man-
datam innocens apparuit, *Discours sur les reparations dues aux accusés innocens* tom. VI. Brossot Bibliothèque Philoso-
phique pag. 169. et tom. IV. pag. 277. *Des moyens d'inde-
mnisier l'innocence injustement accusée, et punie*, M. de
Pastoret tom. II. IV. P. cap. XX. Sententia namque cri-
minalis condemnatoria definitiva, cum in rem judicatam
non transeat, ob probatam innocentiam restitutionem sem-
per admittit, Boehmer. Exercit. LXXXVII. : *De sententiis
in rem judicatam non transcurrentibus* §. XL., et tit. ff. De
sentent. pass. et restitut. (*Inst. de obligat. et act. Tit.
XXI. §. XV.*).

§. XI.

Delatores, qui temeraria, et dolosa delatio- Denun-
ne, quam jurejurando firmarunt, judici inquiren- tiator an-
di ansam dederunt, reo penitus absoluto, in resti- et quan-
tationem expensarum condemnantur; parum enim do ex-
refert, utrum quis temere accusaverit, an calum- pensas
niosa denunciaverit, Ord. lib. 5. tit. 118. §. 2., folvat,
Cabed. II. P. Arest. LII. Vallasc. Allegat. XCV. n.
8. Barbos. ad leg. *Eum, qui temere* 17. n. 161.
De jud. Boehmer. speciali Exercit. *De expensis
criminalibus* cap. III. §. XIV. tom. VI. Matth.
de criminib. ad Lib. 48. tit. 17. cap. 4. Anton.
Genuens. *Della Diceosina* tom. II. cap. XIX.

§. XII.

**Et reus
capite
damna-
tus.**

Et quemadmodum accusator victus in expen-
fas reo condemnandus; ita reus capite licet dam-
natus, vel alia poena corporis afflictiva, in ex-
pensas quoque accusatori solvendas condemnari
debet, Matth. cit. et Boehmer. cap. II. §. VII.

Cum mors omnia solvat, iniquissimum videtur Julio Cla-
ro, Carpzovio, et aliis, reum, qui vitam amisit, in ex-
pensas damnari; eos tamen bene confutant Matthaeus, et
Boehmerus cit. Püttmannus Elem. Jur. Criminal. lib. II.
cap. XXVIII. §. 1072.

§. XIII.

**Et ju-
dex.**

Ab expensarum quoque restituzione, et dam-
ni dati reparacione immunis non est judex, qui
reum imperitia sua, vel dolo malo condemnavit,
Ord. lib. I. tit. 65. §. 9. (Tit. V. §. X. h. Lib.).
Quamobrem in expensas condemnatus easdem co-
gitur solvere ex attributione etiam ipsius pecu-
niae, salario, seu emolumento, quod ei a Rege
ad victimum, et cultum datur, Ord. lib. I. tit. I.
§. 40. in fin. Et hoc notandum est, cum pro de-
bitis quibuscumque civilibus judicium salario pigno-
ri supponi haud possint, Ord. cit. Diplom. 10.
Mart. 1778. (Inst. de obligat. et act. Tit. XXII.
§. XI.).

Graviter autem peccant judices, et incitiam summam,
et avaritiam produnt, qui *paniculariis*, id est, rebus, quas
vinci in carcere secum attulerunt, utuntur, occupant,
et vendunt impensarum criminalium nomine.

T I T U L U S XXI.

De appellationibus.

§. I.

Appellationem in caussis etiam criminalibus ad-
mittit tam jus Romanum, quam Patrium, l. 6. 16. De appellat. l. 6. §. 9. De injusto rupt., Ord. lib. 5. tit. 122. Emm. 42. Alph. 58. Eam autem interponit non solum reus sententia judicis condemnatus; verum etiam judex ipse quibusdam in caussis ex officio, Ord. cit.

Appellare licet non modo ipsi reo, sed nomine ejus etiam aliis, neque distinguendum puto, necessarii ejus fint, an extranei, l. 6. De appellat. Interponitur a judicibus inferioribus ad Senatus criminales Auditores, Ord. lib. 1. tit. 11. et tit. 41. Appellationi in criminalibus caussis ea fere omnia convenient, quae in civilibus obtinent; adeoque hoc trahenda, quae Institutionibus de obligat. et ad. Tit. XXIII. diximus.

§. II.

Jubentur judices in criminalibus quibusdam Et quan-
caussis, quamvis reum absolvant, appellare, quod do judex
speciale est; nam in civilibus solum litigator vi- ex officio
ctus et condemnatus appellat. Haec autem appellatio locum habet in omnibus delictis, quae que- appella-
relam admittunt, et haec summa regula est, Ord. re debet.
lib. 5. tit. 122. in princ., quae non nullas pati-
tur exceptions eadem Ordinatione recensitas.

Necessaria haec appellatio, quam judex sub poena cit. Ord. §. ult. comminata interponere tenetur, et ad Re-publicae, et ad rei defensionem pertinet: cum publice interfit, ne delicta maneat impunita. Illius origo ab Alphonso IV., et ejus filio Petro I. deducta speciali legē a Joan-

a Joanne I. confirmata est Eborae 15. Jan. aer. 1459. apud Ordinationem Alphonsinam lib. 5. tit. 58. §. 7. et seq., quae ad posteriores Codices, paucis quibuldam additis, vel detractis, translata fuit. *Revisio in criminalibus*, nisi speciatim concedatur, locum non habet (Inst. de obligat. et act. Tit. XXIII. §. XXVIII.). Apellatio ad tribunal divinum, seu ad vallem Josaphat perperam deducta ex Joele cap. III. vers. 2.: *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat: et disceptabo cum eis ibi super populo meo, et hereditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus, et terram meam diviserunt: inanis est, et frustra ei tribuitur effectus sive devolutivus, sive suspensivus.* Pöttmann. Elem. Jur. Criminal. P. II. cap. XXII. §. 970., ubi plures ea de re Scriptores laudantur. *Appel à la Postérité par Mr. Linguet.*

TITULUS XXII.

De requirendis, vel absentibus damnandis.

§. I.

Rei ab-
fentes
requiri-
di.

AD judicis officium pertinet reum fugitivum, vel absentem requirere, eique latitanti vias elabendi omnes paecludere. Itaque illum iis in locis, ubi abscondi verosimile est, vel ipse per se investigare debet, vel per alios, si extra jurisdictionis suae limites latitare suspicatur, litteris requisitoris ad loci judices datis illius investigandi ac remittendi causa, Ord. lib. 1. tit. 58. §. 38. et 39. et lib. 5. tit. 104. §. 2. 3. et tit. 119. §. ult. (Inst. de obligat. et act. Tit. IX. §. X.).

§. II.

Processus
contra
absentes
jure nos-
tro ad-
missus.

Et non modo absentes requirendi, sed et condemnandi, Ord. lib. 5. tit. 126. Emm. 44. Jure nostro, ut processus contra absentes officio judicis admittatur, haec concurrant necesse est. 1) institui non debet, et ordinari adversus absentem, qui

qui in certo loco est, ubi facile requiri, et comprehendendi potest, sed solum aduersus eum, cuius habitationis locus ignoratur: 2) nec aduersus omnes, et quoscumque fugientes, cum innocentes quoque judicium fugiant (*Tit. XVIII. §. VI.*), sed aduersus eos tantum, qui jam fuerint de crimine a judice legitimis probationibus tamquam rei *pronuntiati*: 3) nec aduersus minorum criminum reos, sed graviorum tantum, quae poena mortis naturalis, civilisve, vel corporis afflictiva puniuntur: 4) nec aduersus eum, qui nullo modo, id est, nec vere, nec juris *prae*sump*tione* in judicium fuit vocatus. Prius ergo absens citari debet per *Edicta* publice proposita, et in loco judicii, et ubi domicilium ipse habuit, vel ubi illius amici, et cognati vivunt, qui notitiam rei gestae ad eum valeant deferre. Eisdem duo saltem menses assignandi, *indicta comminatione*, quod, iis praeterlapsis, non comparens tamquam verus contumax habendus sit, et poena ordinaria delicti plectendus, *Ord. cit. Edictis* quoque citatur reus, qui Regia in Urbe, vel ubi Rex est, in potentioris alicujus domo se occultat, *Ord. lib. 5. tit. 104. §. 4. 5.*, vel ad Ecclesiam, aliumve asyli locum confugit, *Ord. lib. 5. tit. 126. §. 4.* His igitur lege, et more peractis, jure nostro reus non comparens pro confessio, et convicto habetur; quod non ita accipendum est, quasi ficta haec confessio, vera probatione deficiente, satis sit ad illius condemnationem, cum nec vera confessio eadem destituta ad reum condemnandum sufficeret (*Tit. XVII. §. X.*). Neque profecto major vis, et potestas tribuenda est fictioni, quam veritati.

Quod in judicio criminali pro delicto, in quo poena sanguinis, vel corporis afflictiva statuta est, in absentia eadem condemnandos agi non possit, probat inter alios *Henricus Coccejus Disputatione speciali inscripta: De justitia*

tia poenae in absentes tom. II. pag. 1013., quam in jus suum controversum transtulit Samuel filius ad tit. De requirend. vel absentib. damnand. Boehmer. Exercit.: *De potestate procuratoris in criminalibus.* Sed vero et nostris, et aliarum gentium legibus, et moribus processus contra absentes in capitalibus delictis admittitur: in non capitalibus ad laesi tantum petitionem, Ord. cit. tit. 126. §. 3., Groeneweg. de legib. abrogat. ad leg. *Absentem* 6. Cod. De accusat. Poena capititis, vel quaevis alia corporis afflictiva in imagine rei fugitiu non multis ab hinc annis exsecutioni dabatur, quae eum postea deprehensum a vera poena non liberabat. Hodie in foro nullum jam locum habet exsecutio in effigie: poenarum enim fini haud respondeat. Et quis risum continere poterit, cum viderit flagellorum ieiibus concuti, vel obtruncari fictam imaginem? Huic igitur rei applicari potest Horatianum illud:

Spectatum admissi risum teneatis amici?

§. III.

Secus-jure Roma- Processum tamen contra absentes in judiciis capitalibus jus Romanum haud admittit, l. 1. De no. requirend. vel absentib. damnand.: *Hoc jure utimur, ne absentes damnentur: neque enim inaudita caussa quemquam damnari aequitatis ratio patitur*, l. 5. in princ. De poen.: *In absentes pecuniarias quidem poenas, vel eas, quae existimationem contingunt, si saepius admoniti per contumaciam desint, statui posse, et usque ad relegationem procedi: verum si quid gravius irrogandum fuisset, puta in metallo, vel capititis poenam non esse absentibus irrogandam.* Idem statutum legimus in Clementinis cap. *Pastoralis* 2. De sent. et re judic., can. 1. 2. 3. 4. et passim Caus. III. Q. IX.

§. V.

§. IV.

Absenti jure nostro nec Procurator, nec Defensor conceditur; quod mirandum non est, cum nec praesenti in delictis, quae corporali poena, vel perpetuo exilio multantur, concedatur. Admittitur tamen specialis Procurator, *Excusator* speciatim dictus, qui reum non a delicto quidem defendat, sed a contumacia in non comparendo; quam in rem justas absentiae caussas potest allegare. Ad Ecclesiam quoque configentes, vel alium locum, cui immunitas concessa, Edictis citati Procuratorem similiter constituunt non ad eos in caussa principali defendendos, sed ad asylum tantum, et loci immunitatem tuendam, Ord. lib. 3. tit. 7. §. 3. et lib. 5. tit. 126. §. 1. et 4. Val. lafc. Allegat. 96. a n. 20. (Inst. de obligat. et act. Tit. VIII. §. III. IV.).

Procu-
ratores
non ad-
mittun-
tur in
crimi-
nalibus.

Hae Ordinationes probarunt juris civilis Romani regulam, quae in caassis criminalibus rei absensis, praesentisve procuratorem ad merita caussae quod attinet tractanda non admittit. Illius fundamentum praecipuum erat *dominium iuris* per contestationem in procuratorem translatum: quo factum, ut sententia in eum ferenda esset, et exequenda. Hodie, hac ratione cessante, cum *judicatum* non jam procuratori, sed domino noceat, praefatae Ordinationes cessare debent, cum applicationem nullam in foro habeant: adeoque procuratores tam in civilibus, quam in criminalibus caassis videntur admittendi, Boehmer. Exercit. XXXIII. ad Pand. : *De potestate procuratoris in criminalibus* §. XXVI. (Inst. de obligat. et act. Tit. III. §. XI. Not.). Quocumque modo se res habeat, multum notanda est differentia inter defensionem, quae per procuratorem qua talem alieno nomine suscipitur, et eam, quae ex *communi pietatis officio*, et ob publicum fit interesse, vel privatum. Verum procuratorem leges Romanæ non admittunt in capitalibus caassis: admittunt tamen defensionem *humanitatis* ratione, vel ob publicam, privatam, utilitatem. Itaque hoc jure potest conjunctus, vel extraneus pro praesente, vel absente, immo et pro relu-

Tem. V.

Ff

stan-

stante ad mortem jam damnato verba facere , et illius defensionem suscipere non procuratorio , sed proprio , vel Reipublicae nomine , cum publica sit causa innocentiae l. 33. §. 2. De procuratorib. l. 6. De appellat. Potest etiam dominus servum , et pater filium defendere ; suam enim causam agit , et proprium interesse prosequitur , l. 19. De poen. Idem jure nostro statutum , vel statuendum videtur , Ord. lib. 3. tit. 7. §. 3. ibi : Para o que noô taô- somente será recebido o Procurador , mas ainda qualquer do Povo sem procuraçâo , postoque seja menor de vinte cinco annos , mulher , ou escravo , et lib. 5. tit. 127. in princ. vets. Porem , se em algum tempo , Phaeb. II. P. Arest. 76. Mend. in Prax. lib. V. cap. IV. (Tit. XIX. §. I.).

§. V.

De bannitiis.

Absentes ultimo suppicio damnati a *banno banniti* dicuntur Ord. lib. 5. tit. 126. §. 7., Cabed. II. P. Decis. 57. n. 8. Hujus *banni* effectus is est , ut quivis e populo eos impune possit occidere , Ord. cit. §. 8. Inter alia terribilis hujus proscriptionis exempla speciali memoria digna est Olisponensis Senatus sententia 9. Jul. 1583. , qua D. Antonius , Cratensis Prior , Ludovici Infantis filius , bannitus fuit pronuntiatus , apud Sol. tom. II. Probat. Histor. Geneal. N. 87.

Banni , et *banniti* non una est significatio secundum diversa regionum jura , et consuetudines , quas ut hic repeatam frustra quis a me exspectet. *Nobis bannum* est ipsa sententia condemnatoria , et *bannitus* reus absens eadem condemnatus. Ceterum nequaquam hodie amplius fas est bannitum occidere : non enim singulis concedendum , quod per Magistratus publice fieri oportet , l. 176. De reg. jur. , nec poena caret , qui hominem noxiun interfecit , l. 5. Ad leg. Pomp. de parricid. l. 1. §. ult. Ad leg. Cornel. de sicut . Carpzov. P. III. quaest. 140. n. 131. cum seq. Püttmann. Elem. Jur. Criminal. lib. II. cap. XXVI. §. 1044. Cabed. I. P. Arest. 93.

§. VI.

Eisdem defenso haud de- neganda.

Reo autem etiam *bannito* quandcumque comparenti nece ssaria defensio concedenda est : neque

que distinguimus, intra annum a lata sententia compareat, vel post; sponte, an iqvitus, vel ab alio comprehensus. Nam, cum tacita, vel ficta confessio, qualis ex contumacia fugitiui forte resultat, ad illius condemnationem haud sufficiat (§. II. et §. X. Tit. XVII.), bannitus quamvis capiatur, vel post annum in judicio se stiterit, capit is poena nequaquam plectendus est, quamdiu vere de crimine non fuerit convictus, et vere confessus. Et cum praeterea sententia criminalis condemnatoria in rem judicatam non transeat (Tit. XX. §. X. Not.), a reo praeferit non auditio perpetuo impugnari potest, eidemque omnino concedendum, ut praefata distinctione posthabita, exceptiones nullitatis, judicis suspecti, ceteras, quas in compendio refert Mend. lib. 5. cap. 4., possit opponere.

Et hoc jure utimur. Quare Ordinatio lib. 5. tit. 126. §. 7. verbis: *E vindo depois do dito anno, não será mais ouvido com defesa alguma: in foro recepta non est; vel saltem ita intelligenda, quod non prohibeat reum summa-
tim audire, quod inhumanum esset, sed sollemniter tan-
tum, id est, ad modum processus ordinarii. Alia Ordina-
tione huic contraria eod. lib. tit. 127. in princ. reo quo-
cumque tempore comparenti defensio conceditur, ibi: Pa-
rem se em algum tempo se quizer vir escusar, e mostrar sem
culpa do dito crime, será ouvido cumpridamente com seu di-
reito, Portug. de donationib. lib. III. cap. XL. n. 10.*
Quae Ordinationes hoc modo intelligendae, et inter se conciliandae videntur.

§. VII.

De annotatione bonorum, quae habentur Ord. De anno
lib. 5. tit. 127. ex jure Romano deprompta, ni- tatione bono-
hil est quod dicamus, cum hodie in usu non sit. rum.

TITULUS XXIII.

Quibus modis obligatio criminalis solvitur.

§. I.

Modi solvendae oblicationis criminalis. **E**T contrahendarum, et distrahendarum oblicationum tam civilium, quam criminalium certi sunt modi jure nostro constituti e Romano potissimum deprompti, quos inter numerantur *praescriptio*, *abolitio criminis*, *mors rei*, *sententia absolvitoria*, et *transactio*.

§. II.

Praescriptio. Praescriptione crimina omnia delentur. Quod ita constitutum fuit, vel ut litibus finis imponatur, et cuique tandem constet de jure suo, et securitate, quod praescriptionis introducenda generale fundamentum est, princ. Inst. de usucap., vel ob difficultatem probationis, quae ratio specialis placet Thomasio: *De praescript. bigam. §. VIII.*, vel denique quia post legitimi temporis lapsum vindicta publica jam necessaria non est, cum vero quam simillimum videatur delinquentem tanto tempore mores suos emendassem, et ad bonam frugem rediisse, eumque satis esse conscientiae moratu cruciatum, Lauterbach. et Leyser.: *De praescript. crimin.* Legitima igitur praescriptio omnem de crimine sive publico, sive privato cognitionem, accusationem, et inquisitionem extinguit. Jure Romano, quod nostrum fere omnino probat, haec praescriptio ordinarie vicennialis est, nisi delictum sit permanens, l. 12. Cod. Ad leg. Cornel. de falsi. Excipiuntur peculatus, adulterii, et alia carnis delicta, quibus quinquennio prae-

praescribitur, l. 7. Ad leg. Jul. peculat. l. 29.
§. 5. seq. Ad. leg. Jul. de adulter.

In generali criminum praescriptione vicennium quoque requirit Ordinatio lib. 1. tit. 84. §. 23. in fin. Barbosa ad leg. 3. Cod. De praescript. 30. vel 40. annor. n. 213. Phaeb. I. P. Decis. 53. Sunt tamen quaedam crimina, quae minore tempore praescribuntur. Nam mulier stuprata post annum a commisso delicto adversus stupratorem criminaliter agere non potest, Ord. lib. 5. tit. 23. §. 2.; quae ad omnia carnis delicta fortasse producenda, quorum persecutio non quinquennio, uti jure Romano, sed anno extingui videtur. Joannis I. lege triennium statutum erat, Ord. Alph. lib. 5. tit. 10. Actio criminalis, quam speciatim querelam dicimus, non nisi intra annum a facinore perpetrato intentari potest, Ord. lib. 5. tit. 2. §. 4. et tit. 117. §. 1. Idem dicendum de inquisitione *speciali* officio judicis suscepta; nam *generalis*, quemadmodum accusatio *simplex*, et *juris communis*, vicennio tantum extinguitur, Ord. cit. lib. 1. tit. 96. §. 2. verbis: *E quanto á pena crime, poderá ser accusado, e punido dentro no tempo, que por Direito os taes crimes podem ser accusados, et lib. 5. tit. 117. §. 1. in fin. ibi: E passado o anno, naõ lhe será recebida, mas poderá acusor sem querela quem lhe bem vier.* De propriis delictis in officio commissis a judicibus, et justitiae Officialibus Praetores provinciarum non nisi semel in anno, et intra annum, vel biennium, a quo sunt perpetrata, *generalem inquisitionem* possunt instituere, Ord. lib. 1. tit. 58. §. 34.; quae cum speciatim sint excepta, non male inde colligitur posse de aliis ex officio inquirere intra vicennium. Poena in Officiale dicta, qui delictum in officio, quod de Regis licentia renuntiavit, commisit, biennio praescribitur, Ord. lib. 1. tit. 96. §. 2., Cabed. II. P. Decis 24. n. 9. (Inst. de Jur. Rer. Tit. IV. §. XIV.). Non idem ergo tempus in perficienda criminali praescriptione legibus nostris definitum est: hujus autem diversi constituti juris qui rationem assignare voluerit, is magis suo ingenio indulgere, quam veram adsecutus esse videtur, Thomas, cit. §. XXXVIII.

§. III.

Abolitio criminis ante sententiam, motamve *Abolitionem* concessa et reum a processu criminatio, et aggrava-

nali eximit, et omnem oriundam ex eo actionem criminalem perimit, atque extinguit. Concedi a Principe solet ob insignem diem, insignes victorias partas, vel ob publicam gratulationem, veluti ob natales, et fausta matrimonia filiorum, quo pertinet, ut antiquiora exempla omittam, Regiae Fidelissimae Decretum 12. April 1785. occasione nuptiarum Serenissimi Brasiliae Principis. Vide, sis, l. 1. l. 2. l. 3. Cod. Theod. De indulgent. crimin., ubi Gothofred. *Aggratiatio* poemam sententia definitam remittit, vel in aliam, eamque leviorem mutat. Utraque strictae interpretationis est: ideoque alia ad crimina, quorum in rescripto, aut decreto nulla facta fuit mentio, haud producenda, et obtenta *subreptitie* et *obreptitie* nullius effectus est, Ord. lib. 5. tit. 130. §. 1. et 3.

Etsi non numquam incidentur species, ubi ipsa ratio abolitionem, vel aggratiationem suadere, immo exigere videatur, parce, et vix hoc jure utendum esse recte monent, qui Reipublicae bene gubernandae pracepta tradiderunt. Vide, sis, Tit. I. §. XXVI.

§. IV.

Mors rei. Mortuo ante sententiam, vel intentatam accusationem facinoroso, omnis criminalis persecutio cessat, l. 3. l. 6. De public. jud.; *inaudita enim causa quemquam damnari aequitatis ratio non patitur*, l. 1. in princ. De requir. vel absentib. damnand. Et quae poena a mortuo exigenda? Bene ergo Ulpianus in l. ult. Ad leg. Jul. majest.: *Is, qui in reatu decedit, integri status decessit: extinguitur enim crimen mortalitate; nisi forte quis majestatis reus fuit.* Quae exceptio legibus nostris probatur, Ord. lib. 5. tit. 6. §. 11. Jure, an injuria alii videant (Tit. I. §. XXIII.).

§. V.

§. V.

Quod vero sententia *absolutoria* criminis in-
simulatus vel e reorum numero penitus eximatur , Sententia, et
trans-
vel a praesenti saltem persecutione criminali libe-
retur , nullus dubitat , Ord. lib. 5. tit. 130. in
princ. Extinguitur etiam cognitio criminalis trans-
actione reum inter et accusatorem inita , et huc
trahenda quae diximus Inst. de obligat. et act.
Tit. II. §. XIII. XIV. XV.

F I N I S.

C A-

THE MATHEMATICAL AND PHYSICAL SCIENCES

PHYSICS

PHYSICS OR NATURAL PHILOSOPHY IS THE SCIENCE WHICH
DEALS WITH THE PROPERTIES OF MATTER AND ENERGY AND WITH
THEIR INTERACTIONS. THE SUBJECTS OF STUDY IN PHYSICS ARE
THE SOLIDS, LIQUIDS, GASES, AND PLASMAS, AS WELL AS THE MOTION
OF SOLIDS, LIQUIDS, AND GASES; THE PROPAGATION OF RADIATION,
ELECTRICITY, MAGNETISM, AND GRAVITATION; AND THE STRUCTURE
OF ATOMS AND SUBATOMIC PARTICLES.

PHYSICS

PHYSICS OR NATURAL PHILOSOPHY IS THE SCIENCE WHICH
DEALS WITH THE PROPERTIES OF MATTER AND ENERGY AND WITH
THEIR INTERACTIONS. THE SUBJECTS OF STUDY IN PHYSICS ARE
THE SOLIDS, LIQUIDS, GASES, AND PLASMAS, AS WELL AS THE MOTION
OF SOLIDS, LIQUIDS, AND GASES; THE PROPAGATION OF RADIATION,
ELECTRICITY, MAGNETISM, AND GRAVITATION; AND THE STRUCTURE
OF ATOMS AND SUBATOMIC PARTICLES.

CATALOGO

Das Obras já impressas, e mandadas compôr pela Academia Real das Sciencias de Lisboa; com os preços, por que cada huma dellas se vende brochada.

I.	B R E V E S Instruções aos Correspondentes da Academia, sobre as remessas dos productos naturaes para formar hum Museo Nacional, folheto 8. ^o	120
II.	Memorias sobre o modo de aperfeiçoar a manufatura do azeite em Portugal, remettidas á Academia por Joaõ Antonio Dalla-Bella, Socio da mesma, 1. vol. 4. ^o	480
III.	Memoria sobre a Cultura das oliveiras em Portugal, remettida á Académia, pelo mesmo Author, 1. vol. 4. ^o	480
IV.	Memorias de Agricultura premiadas pela Academia, 2. vol. 8. ^o	960
V.	Paſchalis Josephi Mellii Freirii, Historia Juris Civilis Lusitani Liber singularis, 1. vol. 4. ^o	640
VI.	Ejusdem Institutiones Juris Civilis Lusitani, 4. vol. 4. ^o	1920
VII.	Ejusdem Institutiones Juris Criminalis Lusitani Liber singularis, 1. vol. 4. ^o	480
VIII.	Oſmia, Tragedia coroada pela Academia, folb. 4. ^o	240
IX.	Vida do Infante D. Duarte, por André de Rezende, folb. 8. ^o	160
X.	Vestigios da Lingua Arabica em Portugal, ou Lexicon Etymologico das palavras, e nomes Portuguezes, que tem origem Arabica, composto por ordem da Academia, por Fr. Joaõ de Soufa, 1. vol. 4. ^o	480
XI.	Dominici Vandellii, Viridarium Grysley Lusitanum Linnæanis nominibus illustratum, 1. vol. 8. ^o	200
XII.	Ephemerides Nauticas, ou Diario Astronomico para o anno de 1789, calculado para o meridiano de Lisboa, e publicado por ordem da Academia, 1. vol. 4. ^o	360
O mesmo para o anno de 1790, 1. vol. 4. ^o	360	
O mesmo para o anno de 1791, 1. vol. 4. ^o	360	
O mesmo para o anno de 1792, 1. vol. 4. ^o	360	

O mesmo para o anno de 1793, 1. vol. 4. ^o	- - - - -	360
O mesmo para o anno de 1794, 1. vol. 4. ^o	- - - - -	360
O mesmo para o anno de 1795, 1. vol. 4. ^o	- - - - -	360
XIII. Memorias Economicas da Academia Real das Sci- encias de Lisboa, para o adiantamento da Agricultura, das Artes, e da Industria em Portugal, e suas Con- quistas 3. vol. 4. ^o	- - - - -	2400
XIV. Coleccão de Livros ineditos de Historia Portugue- za, dos Reinados dos Senhores Reys D. Joao I., D. Duarte, D. Affonso V., e D. Joao II., 3. vol. fol.	5400	gr.
XV. Avisos interessantes sobre as mortes apparentes, mandados recopilar por ordem da Academia, <i>folh.</i> 8. ^o	gr.	
XVI. Tratado de Educaçō Fysica para uso da Naçāo Portugueza, publicado por ordem da Academia Real das Sciencias, por Francisco de Mello Franco, Corre- pondente da mesma, 1. vol. 4. ^o	- - - - -	360
XVII. Documentos Arabicos da Historia Portugueza, copiados dos originaes da Torre do Tombo com per- missāo de S. Magestade, e vertidos em Portuguez por ordem da Academia, pelo seu Correspondente Fr. Joao de Sousa, 1. vol. 4. ^o	480	
XVIII. Observações sobre as principaes causas da decadē- cia dos Portuguezes na Asia, escritas por Diogo de Couto em fórmā de Dialogo, com o titulo de <i>Soldado Pratico</i> ; publicadas de ordem da Academia Real das Sciencias de Lisboa, por Antonio Caetano do Ama- ral, Socio Effectivo da mesma, 1. tom. in 8. ^o mai.	480	
XIX. Flora Cochinchinensis : sistens Plantas in Rēgno Cochinchina nascentes. Quibus accedunt aliæ observatæ in Sinensi Imperio, Africā Orientali, Indiæque locis variis. Labore ac studio Joannis de Loureiro Regiæ Scientiarum Academiæ Ulyssiponensis Socii : Jussu Acad. R. Scient. in lucem edita. 2. vol. in 4. ^o mai.	- - - - -	2400
XX. Synopsis Chronologica de Subsidios, ainda os mais raros, para a Historia, e Estudo critico da Legislaçō Portugueza; mandada publicar pela Academia Real das Sciencias, e ordenada por José Anastasio de Figuei- redo, Correspondente do Número da mesma Acadé- mia, 2. vol. 4. ^o	- - - - -	1800
XXI. Tratado de Educaçō Fysica para uso da Naçāo Portugueza, publicado por ordem da Academia Real das Sciencias, por Francisco José de Almeida, Corre- pondente da mesma, 1. vol. 4. ^o	- - - - -	360
	XXI.	

XXII. Obras Poeticas de Pedro de Andra de Caminha;	
publicadas de ordem da Academia, 1. vol. 8. ^o - - -	600
XXIII. Advertencias sobre os abusos, e legitimo uso das Aguas Mineraes das Caldas da Rainha, publicadas de ordem da Academia Real das Sciencias, por Francisco Tavares, Socio Livre da mesma Acad. folh. 4. ^o - - -	120
XXIV. Memorias de Litteratura Portugueza, 4. vol. 4. ^o - - - - -	3200
XXV. Fontes Proximas do Codigo Filippino, por Joaquim José Ferreira Gordo, Correspondente da Academia, 1. vol. 4. ^o - - - - -	400
XXVI. Diccionario da lingua Portugueza 1. ^o vol. fol. mai.	4800


Estão debaixo do prélo as seguintes:


- Aças, e Memorias da Academia Real das Sciencias. 1. vol.
 Taboadas Perpétuas Astronomicas para uso da Navegaçāo Portugueza.
 Memorias de Litteratura Portugueza. 5.^o vol.
 Memorias para servir á Historia das Nações Ultramarinas.
 Memorias Economicas 4.^o vol.


Vendem se em Lisboa na loja de Bertrand; e em Coimbra tambem pelos mesmos preços. Em Leyde na loja de J. et S. Luchtmans, e em París na de Barrois, le jeune.


XVII. Opere lodevoli de Poco de Almeida e Caminha
1600 - - - - - 1.8. Vol. 21. Vol.
XVIII. Exemplares foliosos de suyos e de otros
1600 - - - - - 1.8. Vol. 22. Vol.
XIX. Misiones da Chiesa de Huria, baptizadas
1600 - - - - - 1.8. Vol. 23. Vol.
XX. Actas das Cortes de Lisboa, 1600
1600 - - - - - 1.8. Vol. 24. Vol.
XXI. Actas das Cortes de Coimbra, 1600
1600 - - - - - 1.8. Vol. 25. Vol.
XXII. Dictionario de Lingua Portuguesa I. Vol. 26. Vol.
XXIII. Dictionario de Lingua Portuguesa II. Vol. 27. Vol.


Melhor e Prendeveza A. Vol.
Melhor e Prendeveza B. Vol.
Melhor e Prendeveza C. Vol.
Melhor e Prendeveza D. Vol.
Melhor e Prendeveza E. Vol.
Melhor e Prendeveza F. Vol.
Melhor e Prendeveza G. Vol.
Melhor e Prendeveza H. Vol.
Melhor e Prendeveza I. Vol.
Melhor e Prendeveza J. Vol.
Melhor e Prendeveza K. Vol.
Melhor e Prendeveza L. Vol.
Melhor e Prendeveza M. Vol.
Melhor e Prendeveza N. Vol.
Melhor e Prendeveza O. Vol.
Melhor e Prendeveza P. Vol.
Melhor e Prendeveza Q. Vol.
Melhor e Prendeveza R. Vol.
Melhor e Prendeveza S. Vol.
Melhor e Prendeveza T. Vol.
Melhor e Prendeveza U. Vol.
Melhor e Prendeveza V. Vol.
Melhor e Prendeveza W. Vol.
Melhor e Prendeveza X. Vol.
Melhor e Prendeveza Y. Vol.
Melhor e Prendeveza Z. Vol.














Opere

di

Giovanni

Sala Gab.
Est.

Tab.
N.º

Giulio